
DISSERTATIO DOGMATICA DE CAROLI FRIDERICI BAHRDTII ET...

Joseph X. Hosemann,
Maximilian Josef Wocher




32
1 B
8



DISSERTATIO DOGMATICA

DE

CAROLI FRIDERICI BAHRDTII

ET

JOANNIS SALOMONIS SEMLERI

LUDICRA INTER SE INVICEM PUGNA, CIRCA MATERIAS RELIGIONIS PRAECIPUAS.

ELUCUBRAVIT

JOS. XAV. ALB. HOSEMANN, THEOL. DOCTOR, et in UNIVERSITATE DILINGANA PROFESSOR PUBL. ORD.

DEFENDENTE

SELECTAS EX UNIVERSA THEOLOGIA THESES

MAXIMILIANO WOCHER

ZEILENSI, THEOL. BACCAL. et SS. CAN. CAND. SS. D. N. PII VI. ALUMNO.

HORIS ANTE, ET POST MERIDIEM CONSUETIS.

Die 30ma Mensis Julii 1781.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

DILINGÆ, Typis Joannis Leonardi Brönner, Almæ Universit. Episcop. Typogr.

Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innovare. *Tertullianus L. de praeſcript. adv. haeret. c.* 42.

ILLUSTRISSIMO,

ET

EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

FRANCISCO

ANTONIO,

S. R. I. Dapifero hæredita-
rio, Comiti in Zeyl & Trauchburg,
Baroni in Waldpurg, Domino in Altmans-
hofen, Marstetten, Wurzach, Wolfegg,
Waldsee, & Fridberg, Scherr &c.

Serenissimi S. R. I. Electoris Palati-
no-Bavarici



Consiliario Intimo,

ET

Administratori Comitatus Suabec-
censis &c. &c.

DOMINO, DOMINO,

AC

MECOENATI GRATIOSISSIMO.

ILLUSTRISSIME,

ET

EXCELLENTISSIME

COMES,

DOMINE, DOMINE

MECOENAS GRATIOSISSIME!

Patere obſecro, Comes Illuſtriſſime! nomine TUO haſce meas Theſes inſigniri. Quid non illo praefixo decoris atque ornamenti habebunt? quid illo abſente habere poterunt? qualecunque

cunque enim nomen praeseferrent, quia TUUM non foret, suum non gererent. Cui enim potiori jure laborem meum Theologicum consecrabo, quam TIBI, qui eum ut devoti subditi obsequium, & grati animi officium suscipere clementissime dignaris? -- Verum quid dico obsequium hoc esse erga TE meum, cum TUA sit summa in me benevolentia, quod positiones hae meae Theologicae tanta authoritate, qualis est TUA, possint gloriari?

Campus hic mihi panderetur amplissimus, Clientum more Patronum TE meum, non quia Patronum, sed quia dignissimum celebrandi, et cur TUO maxime patrocinio gaudeam, prolixius explicandi. Possem verae nobilitatis decora in TE collecta recensere: quanta in TE sit eruditio, quae in regendis subditis justitia, quam vere paternus

ternus

ternus erga miseros amor, et affectus, quanta pro cultu Divino propagando & DEI lege observanda cura, ut singulari prorsus pietatis exemplo omnium in TE oculos animosque convertas. Haec atque id generis alia virtutum monumenta, quemadmodum in TE admiror magnopere, atque suspicio, ita depraedicarem etiam, ac ad posterorum memoriam summis laudibus efferrem, nisi quae animi TUI summa demissio est, ipsusmet mihi silentium imperasses.

Sincera nimirum virtus, qualis TUA est, laudari non vult, potiusque amat facta laude digna, quam laudes factorum. - - - Id tamen bona TUA venia silentio praeterire non possum, luculentum ac longe gravissimum pietatis TUAE, & summae, quam de orthodoxa Religione habes, existimationis specimen TE dare, cum praesentes has

The-

Theſes eo potiſſimum ex capite TUO in-ſcribi nomini patiare, quod Theologicae, quod Religionis materia ſint.


Pro hoc favore, ac benevolentia tam inſigni, tam ſingulari, qua TUORUM erga me Beneficiorum cumulum augere voluiſti, quemadmodum me TIBI obſtrictiſſimum eſſe, immortalesque debere gratias intelligo: ita ad ſummum humanarum rerum Arbitrum pro TUA incolumitate preces mittam ardentiſſimas, ab Eoque contendam maximopere, ut aetati TUAE, non tam annis, quam meritis gravi, innumeros vitae dies adjicere, TEque ſalvum & incolumem, coeleſtibusque donis cumulatiſſime ornatum, quam diutiſſime conſervare dignetur. Me vero, ut in numero Clientum TUORUM in poſterum habeas,

mihi-

mihique favere pergas, oro TE rogoque ſumma, qua debeo obſervantia.

ILLUSTRISSIMÆ
TUÆ
EXCELLENTIÆ

infimus Cliens
Maximilianus Wocher,
Defendens.



Introductio.

Qui ſolent Novellas legere, eorum neminem latet rumor abhinc biennio in Germania pervulgatus de Doctrina Caroli Friderici Bahrdtii, Doctoris Proteſtantici, quem vel ipſi in ſua Religione Collegae ad tribunal Caeſareum detulerunt. Et ſane quantam ſibi Provinciam non ſumpſit Joannes Salomon Semlerus, Halae Magdeburgi Profeſſor, ut contra illius profeſſionem fidei ad Caeſarem datam (a) calamum ſtringeret? (b) Erat hoc ſane tempus, ubi ſi firma, ſi Apoſtolica ſint Eccleſiae Proteſtanticae fundamenta, falſitatem confundere, veritatem in aprico ponere cum maximo nonniſi fructu poterat. Sed enim qui fiebat, ut tantum Semleri ſtudium, zelus pro Religione tantus Friderico Tellero non placuerit? (c) Is ſponte fatetur in dedicatoria ad Senatum Cizianum epiſtola, Semlerianam Bahrdtii confutationem noviter indigere, ut confutetur: neque aliam, quam Horrerius adornabat, aequiore dignam judicio cenſet.

Laudo

(a) Dokt. Carl Fried. Bahrdts Glaubens-Bekenntniß.

(b) D. Joh. Sal. Semlers Antwort auf selbe.

(c) D. Bahrdts berichtigtes Glaubens-Bekenntniß von D. Joh. Fried. Teller.

Laudo Telleri hac in re criticen; at non miror. Neque enim si penes sua principia maneant Domini Protestantes, Bahrdtium Collegam suum usque adeo vincent, ut nullam amplius. qua evadere possit, rimam habeat. Semlerum, Tellerum, Lessingium recens defunctum, Horrerium, Tœllnerum & alios quosdam e modernis eruditos viros suspicio; veniam tamen dabunt, si quod res est, edisseram. Quamdiu eos ipsos illud Tertulliani ferit: „ Idem liceat Valenti„ nianis, quod Valentino, idem Marcionitis, quod „ Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare; (d) tamdiu ne conjunctis quidem viribus Domini Protestantes penitus Bahrdtium confutabunt. Anabaptistae, Sacramentarii, Zwingliani, Carolostadiani, atque sexcenti alii e schola Lutheri & Calvini pullulantes eodem, quo primipili parentes sui, jure utentur; idem unus ad invicem dicere poterit: *Per quam viam pertransivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?* (e)

Scilicet Bahrdtius ideo maxime culpandus, quod doctrinam, quam apud se veram censuit, in vulgus spargere, & sic Religionem novam praeter tres in Romano Imperio toleratas invehere, vel magis Socinianam recoquere sectam paraverit? hoc praecipuum Bahrdtii peccatum, hic maximus error fuit? At unum bonum verbum, mei Domini! agi-

turne

(d) L. de praescript. adv. haeret.

(e) 2. Paralip. c. 18. v. 23.


turne de Religione duntaxat externa? de hypocrisi? Ni Bahrdtium blasphema & haeretica etiam apud se tantum principia tenuisse probetis, vereor ne plus, quam prositis, Religioni vestrae noceatis. Non igitur in eo tantum praecipuus cardo vertitur quaestionis, tolerarine in Romano Imperio, & publice docere possit Bahrdtius; verum quid de Religionis ipsius systemate, quid de fidei articulis, quos professus est, censeri oporteat? haereticusne, an non? qui suam hac in quaestione fidem liberaverit, punctum tulit. Num vero id Semlerus sua confutatione praestiterit: num alii praestare valeant Protestantes? mea in praesentiarum lucubratio manifestum reddet.

Fateor, ut hanc prae caeteris materiam seligerem, forte mihi calcar addidit Pastoralis Epistola, quam zelo plenissimam Ecclesiae suae Augustanae nuperrime misit CLEMENS WENCESLAUS eo sane fervore, qui Apostolicum Successorem prodat, ac toto orbe depraedicet. In illa nil magis cordi esse monstratur non sanguine tantum, sed spiritu etiam Regio Praesuli, quam ut errantes etiam heterodoxas ad verum ovile animas ducat. - - Tanti itaque Pastoris vestigia minimus & ego premens, occasionem arripio, ut ostendam, quam nullo labore ac irrito errantem aliquam in Ecclesia sua ovem reducere conentur Domini Protestantes, si suis principiis instent.


Quo

Quo tamen Lector Dissertationis meae ordinem intelligat, Schema praemitto, quod respiciam.


Erravit Bahrdtius ex defectu Ducis.
ex defectu Lucis.
ex defectu Timoris.
ex defectu Simplicitatis.

En quatuor capita, quæ expediam. Semlerum è vestigio sequar; Bahrdtii primo verba, tum adversarii sui responsionem, dehinc protestantium sensum ac Telleri paraphrasin, veram demum Ecclesiae Catholicae mentem distinctis §phis exhibebo, inverso tamen ordine prius de decem articulis Bahrdtianis acturus, tum primum in quarto capite perniciosa detecturus principia, quae suae ad caesarem praefationi insperserat.

Egregie quidem in hoc argumenti genere suam operam collocavit Stattlerus in paraenetica ad Bahrdtium epistola. Verum lubuit singulariter Protestantium in medium adferre principia, atque ostendere, quod in iis duntaxat recens emergentem caput Saxoniæ colubrum vincant, quae cum Catholicis habent communia. Oro interim, obtestorque catholicos, tum & Protestantes, ut hanc scriptionem meam aeqni bonique consulant, quam Ecclesiae Romano-Catholicae Sponsae sine ruga, ejusdemque solius Sponso Jesu Christo toto, quo possum, pectore dono dedicoque.



CA-



CAPUT I.

Erravit Bahrdtius ex defectu Ducis.

§. I.

Qui eſt articulus illius ultimus, primo hic ponam loco, quòd in authoris mente non potuerit non eſſe omnis origo errorum ac haereſum. Ejus verba haec ſunt: „ Certum „ eſt, Chriſtianos omnes ad ea religionis „ dogmata, quæ in ſcripturis aperte con- „ tinentur, credenda & ſectanda adſtrin- „ gi. Eccleſiam vero (ſub qua proprie neminem, „ niſi magnam Eccleſiaſticorum partem, ſeu pluri- „ ma eorum vota intelligo, pro quibus nullo un-

„ quam

„ quam tempore praesumptio stetit de profunditate
„ acuminis, doctrinae eminentia, & judicii sin-
„ ceritate) jus habere, quo doctrinas & conceptus
„ è Scriptura primum artificiose deductos mihi ad
„ credendum imponat, non credo. Saltem hoc
„ repugnaret principiis Protestantismi, obtinentis
„ in Romano Imperio parem cum Catholicismo au-
„ thoritatem & jus. Secundum haec namque prin-
„ cipia, quantum ad meam fidem, nulla adstringor
„ hominis authoritate, sed jus habeo omnia pro-
„ bandi, illudque solum tenendi, de quo me ip-
„ sum ex Dei verbo convictum sensero. Atque jus
„ hoc in Doctoribus protestanticis magis se adhuc
„ extendit, quam in rudibus; nam ut Doctor
„ pars Ecclesiae repraesentantis existo, ideoque non
„ tantum obligor, ut Ecclesiae meae doctrinam pro-
„ bem, sed etiam ut secutam ex mea probatione
„ resolutionem, si momenti alicujus sit, meis in
„ fide fratribus proponam. — Integra hic lubuit
Bahrdtii verba adponere, quamvis longiuscula;
Nam

§. II.

Ex illis colligitur, tria quam maxime docu-
isse. Admittit Imo, ea religionis dogmata, quae
clare sunt in scripturis expressa, a Christianis om-
nibus credi omnino debere. Adfirmat contra IIdo,
Ecclesiam fas non habere, ut alia non ita clare con-
tenta fidelibus credenda injungat. Demum IIItio
vult, se tanquam doctorem ecclesiae repraesentantis,
non



non probare modo doctrinam ecclesiae suae posse sive discutere, sed judicium suum facta discussione resultans etiam obligari aliis in sua religione fratribus indicare. Primum supponit. Alterum & tertium ex protestantismi principiis probat. Per Ecclesiam ecclesiasticae personae ut plurimum veniunt, nulla profundae doctrinae laude, nullo sapientiae praejudicio commendati; est itaque imprudens, ut humana aliqua authoritate ad meam fidem ita adstringar, quo minus ab ejusmodi Doctorum decisionibus possim recedere, & id econtra tueri, de quo meipsum ex Dei verbo convicero. Quodsi vero semel convictus sim de contrario, quid prohibet, quo minus animi mei sensa aliis possim, quin etiam ut ecclesiae repraesentantis Doctor omnino debeam proponere? frustra igitur a meis collegis protestantibus traducor, invidiose damnor, & nonnisi cum maximo illorum pudore accusor.

§. III.

Enimvero si è protestantium secta forem, vixnon de adcurata argumento huic responsione desperarem. Non tamen desperat Semlerus, sed mutilum reddere Bahrdtii ratiocinium cupit. Itaque ecclesiae primo notionem improbat; per ecclesiam, inquit, protestantes neutiquam intelligunt majorem ecclesiasticorum partem, sed principes etiam & magistratus, qui confessionem Augustanam quasi doctrinae normam, suis ditionibus praescripserunt, & in articulis Schmalcaldicis à communi illa concilio-

riorum methodo & ecclesiae potestate se publice pridem liberarunt. pag. 107. Secundo fatetur quidem haud difficulter, posse protestantes passim omnes ob libertatem conscientiae, quam habent, de SS. Scripturae dogmatis judicare, & siquidem satis fundata non videantur, ea relinquere. pag. 111. Ut enim cum Lockio sentit, nullus Christianus obligatur ullius hominis authoritate ad credendum quodcunque ceu dogma à Christo revelatum, nisi circa quod ipse praevio examine adtento de divina revelatione sese actu senserit convictum. pag. 13. At enim jus circa sacra publica, quod à multo tempore principibus protestanticis in omnes à se constitutos ecclesiae ministros competit, confundi nullatenus debet cum jure propriae conscientiae. Istud habet quilibet; ut tamen aliquis docere publice queat aliter, quam in sui muneris susceptione promisit: ut quis à libris symbolicis, ab augustana confessione, publice etiam docendo, recedat: ut principum jura in praescribendis fidei capitulis contrarium publice tenendo violet; ad id ne doctor protestanticus quidem jus habet. pag. 107. & 110. Quid quod falso dicit Bahrdtius, se esse partem repraesentantis ecclesiae; Theologi quidem Augustae, Wormatiae, vel Tridenti collecti talis aliqua pars dici poterant: quilibet tamen doctor seorsim sumptus non item. Adhæc utique penes superiores ecclesiarum in Imperio toleratarum situm est, velintne doctrinam ejusmodi immaturam usui publi-

co permittere; quod ubi non concedunt, frustra se jactat Bahrdtius ecclesiae repraesentantis partem. pag. 113. & 15. ita Semlerus.

§. IV.

Interea videat in primis illuminatus ille Doctor Halensis, ut ipse misero Bahrdtio adhuc miserior sit. Ergone jura principum circa sacra, deposita super symbolicis libris juramenta, externa reipublicae tranquillitas, doctorem aliquem vel ad turpe in materia religionis mendacium adstringunt: vel ad probrosum & cum officio pastoris pugnans silentium? Ita vero ex mente Semleri; nam ut ipsus admittit cum Lockio, Bahrdtio, aliisque protestantibus, si aliter apud me convincar de quodam dogmate, quam mea mihi dictet ecclesia, judicium meum ut sequar, nil obstat. Ponamus autem aliquem, uti Bahrdtium, se credere convictum e. g. aeternas non esse inferni poenas: spiritum S. non esse Deum: debetne de his ad populum dogmatibus loqui, an non? Silentinm in re adeo gravi evidenter cum ejus officio pugnat. Ergo loquatur? At enim quid? Illud nempe quod exigunt principes, libri symbolici, augustana confessio? Sic autem aperte mentitur, & tot ex cathedra profert falsitates, quot verba: agit pharisaeum & hypocritam, quia in re summi momenti aliter docet, quam sentit, & falsum verum, verum autem falsum dicit. Siccine mei Domini, misellam decipitis plebeculam? augurari de facili possum, vos circa ea etiam,

quae

quae sola fides catholica sarta conservat, dogmata non raro convictos aliter publice docere, & tanquam Pilatos & Pharisaeos veritatem supprimere.

§. V.

Quamquam indirecta solum est ista responsio. Propius Bahrdtii & Semleri pedes pedibus premam. Scilicet illud primitus vitio vertit Semlerus, quod sub ecclesiae nomine solos ecclesiae ministros acceperit Bahrdtius: non autem nominaverit principes? quasi vero hi in re dogmatica infallibilitatis pondus adderent; quasi vero majus in Theologicis acumen & scientiam obtinerent: quasi vero non etiam ipsi ab aliis non nunquam hominibus valde secularibus, & studio partium addictis instruerentur. Enimvero Semlerus tandem ipse consentit, neque hanc authoritatem sufficere; ut conscientias liget, & intellectum aliter convictum ad fidem adstringat. — Unum hic verbum Semlere! Numquid ipsimet illi principes ad ecclesiam spectabant; qui reformationis tempore à conciliorum forma & ecclesiae potestate se publice liberarunt? numquid Lutherus & Calvinus tanquam homines mere privati jus habebant novum spargendi doctrinae semen? Quare licuit illis totius in Imperio Romano religionis systema invertere? Quia principes consenserunt? At enim quid fiet, si defacto princeps aliquis protestanticus e. g. de sociniana apud se cum Bahrdtio religione convictus in consortio alterius principis illam doceri; & exerceri

publice permittat? foedifragum inclamabis & in concordata delinquentem. Aſt num putas, Deum accipere hominum inter ſe foedus cum religionis verae detrimento, quale in ſua perſuaſione evidenter oriri talis princeps cerneret?

§. VI.

Itaque permittere, imo tanquam fidei protector, pro viribus promovere talem religionem poterit princeps, de qua ipſe in conſcientia convictum ſe ſenſerit. Ecquid jam obſtat, quo minus citra peccatum alius quidam doctor ſibi adhaerentes quaerat? Quid obſtat, quo minus in Romano Imperio Ariani, Sociniani, aliique tolerentur? Nec centum libri ſymbolici, nec mille confeſſiones vel promiſſiones obligare quempiam poſſunt, ut falſum doceat. Ipſi per hoc adverſarii excuſant Lutherum & Calvinum tantopere contra eccleſiam romano-catholicam debacchantes, cui prius tanquam filii ſemet obſtrinxerant; quidni ergo liceat Bahrdtio, & Dallaeo Lutheri & Calvini diſcipulis, quod magiſtris licuit, de arbitrio ſuo fidem innovare? — Scilicet miſſio deeſt, quam hi prae illis habuere. Aſt nemo hactenus proteſtantium vel umbratile argumentum adtulit, quod Lutheri aut Calvini miſſionem probaret; ſeipſos miſerunt diaboli praecentores.

§. VII.

Heinc bene quidem Semlerus negat, Bahrdtium dici partem eccleſiae repraeſentantis poſſe. At

vae



vae propterea etiam Luthero! vae Calvino! quam enim hi repraefentarent ecclefiam? an veram, an falfam? Si falfam; perdita eft proteftantium cauffa. Si veram; num calvinifticam? an Luthericam? Atqui utraque ab ipfis primum fumpfit exordium: non ergo effe vera potuit. Aliamne igitur, & qualem, fcilicet tum temporis invifibiliter exiftentem? Sic vulgo aiunt proteftantes; fic Lutherus ipfe de fe perhibet: (f) „ Audemus gloriari, „ Chriftum primo a nobis vulgatum. „ Verum refiftat huic ambitioni Tertullianus, qui fuo jam tempore, etfi ducentorum tantum annorum praefcriptione fretus, Haereticis haec objecit: „ Quid? „ verifimilene eft, ut tot ac tantae Ecclefiae in „ unam fidem erraverint? fcilicet aliquos Mar„ cionitas & Valentinianos (dicamus nos, Luthe„ ranos & Calvinianos) liberanda veritas expecta„ bat? Interea perperam evangelizabatur, perpe„ ram credebatur, tot millia millium perperam „ tincta, tot opera fidei perperam adminiftrata, „ tot virtutes, tot charifmata perperam operata, „ tot Sacerdotes, tot Minifteria perperam functa? „ --- Hoc fi ita eft, neglexit officium Dei villi„ cus, Chrifti Vicarius, Spiritus fanctus, finens „ Ecclefiam aliter interim intelligere, aliter cre„ dere, quod ipfe per Apoftolos praedicabat. „ (g) Bene vero; quam parum Lutherus atque Cal-

(f) in Praefat. corp. doctr. Lipf. edit.

(g) L. de praefcript. adv. haeret.


vinus veram repraesentare Ecclesiam passunt, tam parum Bahrdtius & Semlerus cum centum aliis ministellis protestanticis. Utrum vero hi Ecclesiam suam falsam repraesentent, uti de confessionis augustanae fabricatoribus adfirmat Semlerus? utrum Bahrdtius hoc eodem jure gaudeat pro sua saltem parte? me parum angit. Certe non deberent hanc repraesentationem avere tantopere eruditi viri; quid enim laudis abinde, quod quis talis Ecclesiae pars existat, in qua aliter etiam circa materiam Religionis docere liceat, quam sentire?

§. VIII.

Sane quantumvis Fridericus Tellerus aliique e Protestantibus & professionem Bahrdtianam, & Semlerianam confutationem horreant, sentire tamen vel nolentes debent, etiam se omnes isthoc argumento premi. Nam ut cuidam dogmati fidem adhibeam, criterium aliquod veritatis de facta revelatione me habere oportet. Jam porro quale illud? Authoritas doctorum suae ecclesiae ex ipsa plurimorum ac eruditorum protestantium confessione non est. Minus tale criterium esse potest authoritas Principum, lege stabilientium pro regula fidei publica Confessionem Augustanam, aut Formulam Concordiae: Quippe qui non suo id, sed unice doctorum suornm, Lutheri, Melanchtonis, & aliorum judicio egerunt. Oportebit itaque, vel nolentes ad illum denuo spiritum privatum confugere,

&

& cuilibet licentiam dare, ut se ex Ss. Scriptura convincat, atque ideo, quod lubet, interne credat; externe vero Religionem Protestanticam simulet. Quid vero hoc est, mei Domini, quam abominandum in religionis materia perpetrare mendacium? Num plus valent vobis Libri vestri Symbolici, & cusae a male feriatis hominibus confessiones, quam Evangelium? *Qui me erubuerit, & meos Sermones, hunc filius hominis erubescet.* (h)

§. IX.

Scilicet quaeso, fatemini tandem, vos cum politica vestra fidei professione non evadere, nisi etiam circa Religionis dogmata, circa dignoscendum Scripturae sensum internam privato cuilibet seorsim sumpto libertatem conscientiae adimatis. Super hoc sane principio mea ad Bahrdtianum Articulum fundatur responsio. Libertas conscientiae in re dogmatica, in Religionis materia non est favor hominum, sed est Scepticismus, est Fanatismus, quem tantopere Protestantes aversantur. — Atque ut successive procedam; verum equidem docet Bahrdtius Imo, ea, quae clara sunt Scripturae dogmata, credi ab omnibus oportere. At enim vir bone, quis tibi Scripturam dedit genuinam, unde ista colligeres? Habes ne e manu Ecclesiae Romano-Catholicae? Si autem huic in proponenda fidei regula credis, quare non in eadem explicanda? Scilicet

 per

(h) Luc. 9. v. 26.



per hermeneuticen de genuinitate Scripturae tibi, ac tuis contribulibus constat? Sed eho quamvis hanc artem plerique passim e doctis Protestantibus callere sibi videantur, quid est, quod nihilominus circa editiones controversas, & ponderosos non raro textus inter se acriter digladientur? Lutheri Biblia, an Calvini; Anabaptistarum, an Zwinglii praehabenda sint, ecquis protestantium e solius hermeneutices regulis decidere hactenus valuit? Calviniana Ecclesia peritos non minus jactat Dallaeos, & Blondellos, atque Lutherica Gœzenios. & Wetstenios. Uter ex istis recte judicat? Caligent ad vetustum jam hoc argumenti genus Protestantes oportet, sicut in variis confessionum formulis saepissime caligarunt, quas jam cuderunt, jam recuderunt, uti vel de sola Confessione Augustana ostendi posset ad oculum. — Non ergo Bahrdtius & Semlerus admittunt consequenter, dogmata in Scripturis clare contenta credi debere, si id de aliis dogmatis per Ecclesiam explicatis atque propositis negent.

§. X.

Falsum itaque alterum Bahrdtii principium §. II. indicatum, si de vera Christi sumatur Ecclesia. Huic enim Christus dedit Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei — — — ut jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur

omni

omni vento doctrinae. Haec Ecclesia Christi, qualem Apostoli ceu primi Doctores a Domino constituti, instituerunt, ceu columna & firmamentum veritatis (i) totum depositum fidei a Christo relictum, ex manibus suorum Doctorum accepit, cum obligatione omnibus fidelibus imposita in conscientia credendi, & faciendi omnia, quaecunque Christus Apostolis mandaverat. — Doctrinam hanc centies demonstratam sensisse apud se videturBahrdtius; unde dum cit. Artic. cum Protestantismi principiis illam combinari non posse adfirmat, quid aliud prodit, quam ecclesiam hanc suam sibi non arridere? Et bene quidem hic ad suae Sectae falsitatem concludit; nam Ecclesia, quae suis fidelibus imponere in conscientia dogmata non potest ad credendum, vera non est: Sic enim omnes passim circumferentur vento doctrinae, si vivum, quem sequantur, magistrum veritatis non habeant. Atqui ex doctissimorum Protestantium Lockii, Semleri, aliorumque plurimorum agnitione Libri Symbolici, Confessionum formulae, Principes & Pastores nequeunt fidem in conscientia praecipere ullis Articulis praestandam. Non ergo veram ipsi ecclesiam habent. Sistat jam Gradum Bahrdtius,

§. XI.

Et intelligat, quam misere ex defectu Ducis erraverit. In Ecclesia sua Protestantica infallibilem Magi-

(i) 1. Timoth. 3.



magistrum non reperiit: ergo protinus conclusit, sibimetipsi & privatis aliis judicandi de rebus dogmaticis jus competere. Sic ipse statuit, sic statuunt alii cum ipso doctissimi Protestantes. At enim mei Domini! illatio vestra per saltum est, bonam non continet Logicam. Numquid magis concludere debebatis prius: ergo inquiram aliam Ecclesiam, quae ex institutione Christi columna & firmamentum veritatis est: Ecclesiam, quae ab Apostolicis jam temporibus sub anathematis vinculo non tot quin plures quaestiones controversas contra Haereticos homines definivit: Ecclesiam, quae ex Ss. Literis satis claris, & quas ipsi agnoscunt Adversarii, infallibile sibi docendi, obligandive munus adtribuit? Hoc sane faciendo Domini Protestantes suae tum famae, tum conscientiae magis consulerent, quam cum cuilibet Scripturam judicandi facultatem adsignant; hoc enim jam pridem vera per Tertullianum improbavit Ecclesia: „ Qui estis? „ quando & unde venistis? quid in meo agitis non „ mei? quo denique Marcion (*Luthere*) Sylvam „ meam (Scripturam) caedis? qua licentia Valen- „ tine (*Calvine*) fontes meos transvertis? qua „ potestate Apelles (*Semlere*) limites meos com- „ moves? Mea est possessio. Quid hic ceteri ad „ voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea „ est possessio. Olim possideo, prior possideo, ha- „ beo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum „ fuit res. Ego sum Haeres Apostolorum. Sicut

cave-

„ caverunt Teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt,
„ ſicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exhae-
„ redaverunt ſemper. & abdicaverunt ut extrane-
„ os, ut inimicos. „ (k)

§. XII.

Et ſane Schwenckfeldiana iſthaec illatio: meipſum ſtudebo e Scripturis convincere, ridiculos nonniſi praecones proteſtanticos facit, ipſamque eorum Religionem exponit ludibrio. Praedicat miniſtellus dogmata; at reſpondet intra ſe auditor: Expecta paulisper, usque dum me ipſum convicero. Proponit paſtor, hoc aut illud eſſe credendum; reponit ovis ſibi magis in Bibliis ſapere viſa: non credo. Inſtat praeco, illud eſſe expreſſum in Ss. Literis; regerit Catechizandus: ego aliter intelligo. En mei Domini veſtram fidem! & tamen adhuc in veſtrae conſcientiae libertate plauditis? Hercule! quod verſatiſſimi non arrogarunt ſibi Patres, hoc non vobis modo, ſed rudibus etiam competere adſeritis absque ſcrupulo? Qui magis periti in Scripturis, quam Magnus Baſilius & Nazianzenus Gregorius? & tamen de his Ruffini teſtimonium eſt,
„ Scripturarum intelligentiam non ex propria prae-
„ ſumptione, ſed ex majorum ſcriptis, & authori-
„ tate ſuiſſe ſecutos; quos & ipſos ex Apoſtolica
„ ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſta
„ bat. „ (l) Quam belle huc quadrat illud Augu-
ſtini:

(k) L. de Praeſcript. c. 17.
(l) Hiſtor. Eccleſiaſt. l. 2. c. 9.

ſtini : „ Tu in eos libros, qui ſancti, divinarum„ que rerum pleni ſunt, & ut tales prope totius „ humani generis confeſſione diffamantur, ſine „ Duce irruis, & de his ſine Praeceptore audes „ ferre ſententiam ? „ (m)

§. XIII.

Aſt quo ſe convertant pro intelligenda veritate DD. proteſtantes? Ubi magiſtros reperient? Apud catholicos forte? Sed pudor! neque pro iſtorum Epiſcopis ac Theologis ullo tempore ſtetit praeſumptio de profunditate acuminis, doctrinae eminentia, & judicii ſinceritate §. I. Nolim tam enormem ſanctiſſimis juxta & doctiſſimis eccleſiae catholicae Patribus impactam injuriam fuſius refutare, quae utpote ſeipſa ruit, ſi vel cogitando adtingantur ingentes illorum & conciliorum codices. Solo iſthoc ſcuto Bahrdtium, eique conſpirantes repello, quod Stattlerus (n) ſuggerit: Legalis ſocietas eſt Chriſti eccleſia, ſimulque perpetua. Ergo perpetuam quoque a Chriſto authoritatem obtinuit docendi, obligandive in conſcientia. Atqui haec authoritas evidenter includit donum veracitatis falli neſciae; nulla enim authoritas mere humana in dogmatis a Chriſto traditis docendis ad certam perſuaſionem ſufficere poteſt. Ergo Chriſtus vel munus docendi perpetuum eſſe velle non de-

(m) l. de util. cred. c. 7.

(n) Epiſt. Paraenet. ad Bahrdtium. pag. 54.

debuit, vel etiam donum veracitatis falli nesciae, & authoritatem quamdam divinam, quam semel Apostolis cum munere docendi contulit, perpetuam esse velle, & conjunctam cum illo munere debuit. Atqui talem authoritatem suis in Episcopis ex lege ac praescripto Christi exercentibus munus Apostolicum, quod continua successionis serie ab Apostolis transmissum accepere, agnoscit sola ecclesia catholica. Sola ergo haec vera Christi ecclesia est, sufficienti ad exercendum munus docendi authoritate sola sapienter instructa. Ubi vides, veracitatis donum Episcopis non conferri, quod sapientes sint; sed quod Apostolorum successores, quod ecclesiae verae praesules, quod religionis Christi perpetuo duraturae conservatores. Igitur vel Apostolicam non esse ecclesiam Romano-catholicam proba, vel totum superius argumentum concede.

§. XIV.

Ad eam igitur ecclesiam respicere debuissent Bahrdtius & Semlerus, quae se Apostolicam probat, ut veritatem a nobis mox positam palparent. Porro Apostolica quaenam est, nisi illa, de qua Hieronymus: (o) „Quisquis es assertor novo„rum dogmatum, quaeso te, ut parcas romanis „auribus, parcas fidei, quae Apostolica voce lau„data est?" Quaenam nisi de qua dicit Augustinus: „Quaerenti alicui peregrino, ubi ad catholi-

(a) in epist. ad Pamachium.



„ tholicam conveniatur, nullus haereticorum vel „ basilicam suam, vel domum audet ostendere? „ (p) Et de qua idem: „ Evangelio non crederem; „ nisi me ecclesiae catholicae commoveret authoritas? „ (q) Non ergo vos mei Domini! Apostolicas potestis dicere ecclesias vestras; nam „ edite „ origines ecclesiarum vestrarum, evolvite ordinem „ Episcoporum vestrorum. „ TERTULLIANUS (r). „ Vos vestrae cathedrae originem reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare. „ S. OPTAT. MILEV (s). Solius catholicae privilegium illud est; haec se citius, & magis Apostolicam potest comprobare, prolata in medium Episcoporum suorum Apostolis succedentium serie: quam protestantes ecclesiam suam Evangelicam nominare. Unde tandem ipsis merito illud S. Cypriani dicitur: „ Nova- „ tianus (*Lutherus vel Calvinus*) in ecclesia non „ est, nec Episcopus computari potest, qui evange- „ lica & apostolica traditione contemta, nemini „ succedens, a se ipso ortus est; „ (t) & infra: „ Pastor quomodo haberi potest, qui (manente „ vero pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione suc- „ cedanea praesidente) nemini succedens, & a se- „ ipso incipiens, alienus fit & profanus? „ Illud ergo

(p) contra epist. fundamenti.

(q) epist. cit.

(r) l. l. de praesc. c. 32.

(s) l. 2. contr. Parmen.

(t) epist. 76. ad Magnum.

ergo Hieronymi Bahrdtio interea in aurem dixero: „ Brevem tibi apertamque animi mei sententiam „ proferam, in illa ecclesia esse permanendum, quae „ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat. „ Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi (seu „ Christiani) non a Domino Jesu Christo, sed a „ quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, „ Valentinianos, Montenses, sive Campitas (*Lu-* „ *theranos*, *Calvinistas*, *Zwinglianos*) scito, non „ esse ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synago- „ gam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti „ sunt, eos se esse indicant, quos futuros Aposto- „ lus praenuntiavit. 1. *Timoth.* 4. „ (u)

§. XV.

In catholica itaque ecclesia infallibile illud docendi munus datur, divinaque docendi authoritas. Quis autem tam excors erit, tam petulans, ut audeat divinae authoritati contradicere? Obligamur ergo in conscientia ad credendum, quae nobis ut revelatà proponit. Atqui vero nil magis damnat illa unice vera Christi ecclesia, quam humanae conscientiae in recipiendis dogmatis libertatem. Videat ergo Bahrdtius, ut se insipienter resolverit, & inique certaverit, ac Caesarem compellarit pro illa inducenda; Caesarem inquam, qui non tam ratione foederis publici & Concordatorum Germaniae, quam ratione religionis Christi, cujus ve-

rum

(u) in dial. contra Luciferian. iu fine.


rum exiſtit membrum, jure divino & naturali obligatur novas quaslibet haereſes opprimere, & a Romano arcere Imperio. — Sed & Semlerus cum infamia abeat, qui eandem cum Bahrdtio adſtruens conſcientiae libertatem, nonniſi pro externa & mere politica religione ſe impendit, & ſic vel hypocrita graviſſimus ipſe eſt, vel alios certe hypocritas in ſumma religionis materia cupit efficere. Hinc quaſi ſaxum inter preſſus & angulum, antequam reſponderet Bahrdtio, hanc animadverſionem ponit, male timens cauſae ſuae Doctor Luthericus: „Wenn der Herr Verfaſſer nicht partheyiſch, „oder nicht eilfertig und nachläßig zu handeln ſich vorgeſetzt hätte: ſo hätte dieſes Stück auch ganz und gar „wegbleiben müſſen.„ pag. 105. Scilicet Bahrdtius coegit Semlerum, ut edicere debuerit etiam ipſe illud Theiſmi principium pag. 7: „Ein einzeler „Menſch — — kann ſich in allen drey offentlichen Re„ligionen zur beſonderen Parthey wenden, welche ihm „am meiſten mit der Lehre Jeſu, und mit gewiſſerer ei„gener Vollkommenheit und Erbauung einzuſtimmen „ſcheint; er kann Janſeniſt ſeyn, und ein ſtrenger Schü„ler Auguſtini; er kann zur Gegenparthey gehören; er „kann die praktiſche Religion aus Spenners oder ande„ren Schriften, gar aus Böhmen, Dippel, Herrnhut „für ſich annehmen; er kann ein Arianer, Socinianer „ſeyn. Ja gar, wenn er ſich dazu verbunden achtet, „ein Jud werden; nur muß er in den letzten genannten „Partheyen dieſe ſeine eignen Gewiſſens Rechte nicht wei-

ter

„ ter ausdehnen, und nicht in öffentliche, die der ganzen
„ besonderen Gesellschaft gehören, verwandeln. „

§. XVI.

Noſcas hinc, amice lector! e cantu volucrem. Etiam illis, qui uni ex tribus toleratis religionibus dedere nomen, liberum eſt apud ſe vel cum Arianis ſentire & Socinianis, vel omnino cum Judaeis, modo externe non profiteantur. Jam quaeſo te, vel talis ad ſuam adhuc eccleſiam ſpectat, an non? manetne Lutheranus, Calvinianus, an non? Si ita; eccleſia proteſtantica docere & adprobare pugnantia poteſt. Si non; ergo cum eccleſia proteſtantica ſuis membris facultatem tribuat, quid lubet, ſentiendi, animorum inter ſe unio non datur. Quidquid dicatur, vera Eccleſia eſſe penes proteſtantes non poteſt, ſed magis ipſi ſectam conficiunt indifferentiſtarum non modo ſtrictiorum, ut vocant, ſed etiam laxiorum qualemcunque demum religionem amplectentium, externe vero politicam duntaxat ſimulantium. Tales autem quo nomine aptius compellentur, niſi Theiſtarum? eſt ergo eccleſia proteſtantium congregatio Theiſtarum. Vah triſtem ſequelam, quam coguntur Bahrdtius, Semlerus, iique omnes admittere, qui libertatem conſcientiae tantopere praedicant, & judicem controverſiarum infallibilem ac externum non agnoſcunt, ſed privato cuique examinandi dogmata & judicandi facultatem tribuunt. Neque in eccleſiam romano-catholicam retorquere jactum hoc in ſe te-


lum proteſtantes poſſunt; illa namque fidelium ſuorum nulli poteſtatem tribuit, dogmatis a ſe definitis internum praeſtare diſſenſum: imo tribuere facultatem hanc tam parum poteſt, quam parum adprobare, ut quis divinae revelationi contrarius eat. Senſit veritatis iſtius pondus Iſaacus Papinius, eccleſiae olim anglicanae miniſter, poſt autem ad catholicam unitatem reverſus; cujus verba gravitate & ſinceritate pleniſſima proteſtantibus omnibus ad perpendendum hic offero: „Mihi, „ inquit, perſuaſum fuit, proteſtantes ſi vel latum „ unguem a Tolerantiſmo recederent, a catholicis „ vinci; vinci vero ab haereticis & infidelibus, ſi „ non recederent, quibus arma ad ſe defendendum „ ſuppeditant; neque enim facere poſſunt, quin „ omnibus ſalutem concedant, & docendi, quidvis „ libuerit, tribuant facultatem. Eadem argumen„ ta, quibus Tolerantes eos ferendos eſſe probant, „ qui Ss. literas, quacunque demum ratione expli„ centur, pro fidei regula habent, non minus effi„ caciter probant, ferendos eſſe infideles, & gene„ raliter, quotquot bona fide ſe eſſe profitentur, „ etiamſi Athei eſſent. Et quibus momentis a to„ lerantia Chriſtianiſmi hoſtes excludunt, etiam to„ lerantia eos omnes indignos eſſe pronunciant, quos „ tolerandos eſſe profitentur. „ Ita rotunde fatetur Papinius. (w) Videri etiam poteſt Fridericus Sta-

(w) I. les Deux voies oppoſeés en matiere de Religion, l' examen particulier. & l' autorité. 2. part. Sect. 1. n. 13.

Staphilus in Epitome trimembri Theologiae Lutheranae, ubi haec eadem objecit Philippo Melanchtoni, qui refpondere directe nil potuit.

§. XVII.

Abfit vero, ut doctrinam Bahrdtii cenfeamus in Romano Imperio tolerandam; eliminari debet, condemnari, & toto, fi fieri poffit, orbe profcribi. At enim quo id fundamento velle Semlerus potuerit; quo rationis nexu id poffint urgere Proteftantes, ego quidem non capio. Soli Romano-catholici funt, qui cum effectu refiftant Bahrdtiano molimini, & infernalem ejici hydram jure poftulent. Neque Luthero, neque Calvino licuiffe fidem innovare, ifti omnino jufte praetendunt; fi ergo fieri tum temporis falva ecclefiae verae externa tranquillitate potuiffet, fummi principes & imperantes tanquam verae ecclefiae protectores impedire fparfam ab illis pfeudoreformatoribus doctrinam ac fupprimere debuiffent. Cum ergo facile fit, recens ortam Bahrdtii doctrinam, & Socinianifmum in illo recrudefcentem fuccidere, ad id omnino faciendum obligatur Caefar, atque omnes facri Romani Imperii principes. Execrentur igitur una nobifcum proteftantes doctrinam Bahrdtii, in quem illud Apoftoli dirigitur: *Ex vobis ipfis exurgent viri loquentes perverfa, ut abducant difcipulos poft fe.* (x) Verum neque Semlero fuo, aliisque quinti Evange-

(x) Act. 20. v. 30.

lii miniſtellis fidant, qui de ſe ipſis fatentur, non licere ſibi veritatem, quam in corde habent, publice edicere; in quos proin illud quadrare intelligitur: *Attendite à fermento phariſaeorum, quod eſt hypocriſis.* (z) Hi namque *a foris adparent hominibus juſti* (credentes) *intus autem pleni ſunt hypocriſi.* — Hos inquam praedicatores ſuos ac doctores fugiant; fidei enim duces non ſunt, ſed viri mere politici ſub religionis externae ſpecie falſitatem pallliantes.

§. XVIII.

Hactenus de ultimo tantum Bahrdtii Articulo dictum, quem §. I. deſcripſimus. Verum etiam nonus huc pertinet, quamvis, ut videtur, externa ſua ſpecie prorſus innocuus. Hic autem illius tenor: „In Ss. Novi Teſtamenti literis divina pro „hominibus ad obtinendam felicitatem contineri „documenta, quibus fiduciam omnem debeamus „ac obedientìam, certum habeo. Deum vero „omnia inſpirare Literarum illarum verba, con-„vincens hucusque argumentum legi nuſpiam.„ — Si nil ultra velit Bahrdtius, quam certum non eſſe, an omnia verba Ss. Scriptoribus divinitus ſint inſpirata; haud eſt, cur multis contra ipſum armis pugnemus. Norunt omnes, nedum inter Proteſtantes, ſed ipſos Catholicos de re adhuc illa impune controverti. At enim cui bono ſuos inter Arti-

(z) Luc. 12. v. 1.

Articulos hanc litem ponit? Frustra est, pro sua conscientiae libertate nil lucratur Author; etsi verba non omnia sint inspirata seorsim sumpta: etsi obscurus non raro adpareat verborum sensus, atque integri non raro textus imbecillitati nostrae caligo sint; propterea fas non est cuilibet explicare pro lubitu & judicare; interpres enim authenticus semper ad manum est, Divini Spiritus illustratione veritatem edoctus, nimirum Ecclesia, quae hoc vel illud revelatum Divinitus fuisse adserit, aut negat.

§. XIX.

Unum porro est, quod oppido mihi videtur suspectum; quare nil hoc suo Articulo de veteris Testamenti literis ac de Divina earum authoritate commemoret; quasi non etiam illae Divina pro hominibus contineant Documenta. Nolim ego Bahrdtium nigro propterea notare calculo; at enim si regulam fidei scriptam, quae Christianismo servit, voluit exactam ponere, non potuit sine Manichaeismi suspicione Testamenti veteris paginas reticere. — Maluerit scilicet abstrahere, quam ex Protestantismi Principiis ita ponere, sicut in sua contra ipsum responsione Semlerus posuit; hic ait: „ Auch in der Sammlung der Bücher des alten Testa„ments sind ebenfalls göttliche Belehrungen der Men„schen enthalten: denen wir alles Vertrauen, und allen „ Gehorsam (aus mitfolgender Ueberzeugung unsers „ Gewissens, aus Erfahrung) schuldig sind. „ Fatendum


tendum ſane, longe periculoſius hic loqui Semlerum, quam tacere Bahrdtium. Quid enim ſibi vult iſta Parentheſis? Illam videlicet Crambem denuo recoquit, nec veteris Teſtamenti libris credere me debere, niſi me propria conſcientia convincat & experientia. Cum ergo in Semleri ac doctiſſimorum Proteſtantium ſenſu nulla ſit in mundo authoritas, quae Scripturae documenta omnibus infallibiliter credenda proponat: Cumque rurſum alius ſic, alius autem ſic legem veterem intelligat; ideo Teſtamentum vetus regula credendorum nec pro omnibus eſſe poteſt, nec pro ſingulis.

§. XX.


Profecto enim ut a pari ducam argumentum, ſi Proteſtantici Doctores ſuis dent ſubditis Catechiſmum aliquem ſeu Credendorum ſummam, ea tamen conditione, ut liberum ſit cuilibet ea credere, de quibus ſe judicaverit eſſe convictum; nae maxima foret haec diſſormitatis anſa inter ſubditos! quandoquidem alius Articulum unum expunget, quem alter tenet. Hic delebit, quem ille tuetur. Atque ſic fiet, ut neuter ſecurus ſit, cum quilibet ſe fallibilem eſſe deprehendat. — Quaeſo te, & talem tu regulam eſſe Scripturam dices, in qua quid divinum ſit, quid vero non, a propriae conſcientiae judicio pendeat? Quid ergo, ſi de nullo veteris Teſtamenti documento quis convictum ſe putet, ut Manichaeus? vel de nullo legis novae, ut Judaeus? Tunc inquis, fides non debetur. At

enim

enim putasne cum ſapientia Dei ac providentia combinari duo haec principia poſſe: Deus offert nobis librum, in quo fidei dogmata & divina documenta continentur. Item: Quaenam ſint illa, fallibili ſuo & privato quilibet cognoſcet judicio? Vel igitur ſtante fallibili hominum judicio claram omnino dare debuit regulam fidei, quod factum non eſſe tot haereſes & ſectae abhinc jam exortae demonſtrant. Vel omnes debebat facere in ſuo judicio infallibiles, quod illum non feciſſe, ex tot contrariis inter ſe religionibus rurſum patet. Vel improvide ac imprudenter Deus egit hinc ad regulam fidei amplectendam obligando, illinc media ad eam dignoſcendam ſufficientia denegando, id quod blaſphemum eſt cogitare. Vel tandem infallibilem quemdam & externum Interpretem, Ducem, & Magiſtrum, cui fidere omnes poſſint, oportuit conſtituere. Atque hoc eſt, quod nos Catholici dicimus; quod cum non admiſerit Bahrdtius, mirum haud eſſe debet, tam grave illum feciſſe naufragium, ex defectu Ducis. Sed nec cynoſuram aſpexit, fideique noſtrae anchoram; hinc lapſus, hinc pudor! Nam etiam



CA-



CAPUT II.

Erravit Bahrdtius ex defectu Lucis.

§. XXI.

Lucem fidei nostrae Paulus monstrat: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* (a) — Qui ergo pensitaverit, Bahrdtium de Spiritu S. de Christi Divinitate, de Gratia & Satisfactione turpiter haluccinatum esse, ne miretur, ad Socinianas eum, & Sabellianas tenebras devenisse. Sic autem sonat articulus Bahrdtii quartus: „ Credo Deum Apostolis suum dedisse Spiritum, de eo „ tamen, quod hic Spiritus tertia in Deitate persona sit, convictus non sum. Quin potius in SS. „ Literis aliam de πνευμα ἅγιον significationem „ non invenio, nisi hanc duplicem: ut scilicet per „ illud vel divinitus collatae intelligantur dotes, „ talenta & vires, vel certe nomen Dei ipsum, qui „ talia dona largitur. „

§. XXII.

Vix uspiam minus Bahrdtio resistit Semlerus, quam in hoc articulo; adeo & huic nasututo Trinitas

(a, II. Cor. c. 13. v. ult.

tas perſonarum diſplicet. Manus ergo invicem ſibi jungunt, & contra Deitatem Spiritus S., quantum poſſunt miſeri & bilingues, ambo conſpirant, ſuumque brachium roborant adverſus Altiſſimum. „ Fa-„ teor, inquit Semlerus pag. 81. de nomine tertiae „ perſonae intereſſe plane nihil; modo e Scriptura „ Chriſtiani credant, per Spiritum S. indicari au-„ ctorem Spiritualium effectuum ad emendationem „ illorum, aeternamque ſalutem. Quod ad rem „ ipſam adtinet, jam pridem in confeſſo eſt, per „ πνευμα ἅγιον non ubique perſonam ſeu alium a-„ gentem deſignari; ſed potius frequentiſſime per „ Metonomiam effectus ipſi ac dona Spiritus S. iſt-„ hoc nomine notabantur. Apoſtoli ſub hac ſigni-„ ficatione receperunt Spiritum ſanctum. „

§. XXIII.

Et quis non ſtupeat Semleri magis audaciam quam Bahrdtii? Ille huic parat in faciem reſiſtere, cum trabem eandem in ſuo fixam oculo habeat. Provoco hic DD. Proteſtantes omnes, ut judicent, in quo ambo illi circa praeſens punctum differant. Numquid Semlerus ipſe pravam ſuam mentem affatim declaravit? Numquid ſatis detexit ulcus, quando Gœzennio editionem graecam Complutenſem & contentam in ea Imæ Joannis Epiſtolae illam periocham: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*; (b) ſtrenue defendenti reſpondere publice auſus

(b) I. Joann. c. 5, v. 7.



sus fuit? „ So halte ich bey aller meiner unberuhig„ten Einsicht der Lehre von der Dreyeinigkeit (denn „ich soll dieß Wort immer brauchen: Vater, Sohn „und Geist sind nicht deutlich genug zur Seligkeit) „die Arianische Streitigkeit für quaestionem eccle„siasticam. (c) — Numquid idem ipse Semlerus tanquam ex tripode pronuntiat: „ Es ist ganz aus„gemacht, ganz entschieden, daß eben diese wörtli„che Beschreibung - eine Lehre von dreyen verschie„denen Personen in dem einen göttlichen Wesen - „gar nicht zu den Grundlehren der Christlichen Reli„gion oder des Christenthums gehöre. „ (d) Numquid tandem in responsione ad Professionem Bahrdtianam pag. 45. sponte fatetur: „ Ob Heil. Geist „eine Person ist, für sich, eine dritte; oder Gottes„heiligende Wirkung: ist in Absicht des Erfolges „der Wirkung in dem Menschen, ganz und gar ei„nerley; kann gar nicht eine Quelle des Unglaubens „werden, es ist ganz unmöglich. „ — Proinde qui non credit tertiam in Deitate personam, sed discredit, neutiquam is in Semleri mente superstitiosus, neutiquam incredulus est.

§. XXIV.

Jam vestram fidem mei Domini! si expeditum, si decisum penitus sit, ad fundamentales Christianismi articulos nomenclaturam SS. Trinitatis non perti-

(c) Gœzen. Genauere Untersuchung pag. 45.

(d) in seiner neuesten Schrift gegen die Wolfenbüttlischen Fragmente pag. 94

pertinere: Si quaestionem pure ecclesiasticam continet Ariana controversia: Si hoc fateri publice Semlero licuit: ut quid peccavit Bahrdtius animi sui sensa eadem manifestando? Scilicet contra Augustanam egit Confessionem? At enim illa erraverit pro Fundamentali aliquid articulo habens, de quo decisum est, non esse; numquid ergo expediebat, ut suis Protestantibus errorem hunc eximeret Bahrdtius, sicut publicis in scriptis exemtum volebat Semlerus? Rectissime proin adversarium huuc suum repulit Bahrdtius in einer Erklärung an das Publikum, quae anno priore lucem adspexit: „ Herr Doktor Semler hat im Grunde eben solche „ Gesinnungen geäußert, wie aus meinem Glaubens„ Bekenntniß hervor leuchten. „ pag. 12.

§. XXV.

Crediderim itaque, cordatos omnes e Protestantibus una mecum tam aversari Semlerum, quam Bahrdtium. At enim id flagitarem, ut ipsi sua mihi arma ostendant, queis utrumqne hunc SS. Trinitatis hostem sternant. Estne sola de se Scriptura sufficiens, quae tertiae personae divinitatem commonstret? Quid vero si oggerant hostes, quibus, cum jam Socinianis accesserint partibus, multum non est etiam se Theistis sociare, quid inquam, si oggerant: Undenam Divina vobis authoritate constat, eos, quos citatis, textus revera Divini verbi partem esse? Ecquis non jam fallibili, sed infallibili, cui refragari nefas sit, authoritate declaravit,

tanta


tanta pro Deitate Spiritus S. argumenta in SS. Literis contineri, posteaquam compertum est, Originalia Scripturarum prima jam pridem periisse? — Itaque ad codices Conciliorum & Patrum credo libros refugium sumitis? Bene vero; sed numquid vestra tunc vulnera denudatis, ad infallibiles adpellando traditiones, quae tantam in catholicis nauseam vobis creant? — Fatemini jam quaeso, alia vobis arma non suppetere, nisi quae sola porrigit ecclesia Romano-catholica, a qua recessere patres vestri, quamque solam & unam regit Spiritus S. Paraclitus;

§. XXVI.

Pro hujus itaque Magistri sui divinitate potentibus armis tam ex verbo scripto, quam tradito repetitis sola pugnat ecclesia catholica. Sternantur increduli effato Christi & Pauli, quod illa infallibiliter genuinum proponit. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti.* (e) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* (f) *Obsecro per charitatem sancti Spiritus.* (g) *Charitas Dei & communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis.* (h) *Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia &c.* (i) Adeste jam germani Schismatici, qui cum Graecis S. Spiritus divinitatem arroditis, Paulus expresse distinguit Spiritum S. ab effectibus divi-

(e) Matth. 28. v. 9. (f) Rom. c. 5. v. 5. (g) Rom. c. 15. v. 30. (h) 1. Cor. ult. (i) Galat. c. 5. v. 22.

divinis, a charitate, a gaudio, ab aliis: ergo πνευμα ἁγιον hic aliud quid denotat, quam divinos effectus & gratias; quid ergo? Nomen ipsius Dei, inquit Bahrdtius; igitur Deus est Spiritus sanctus? Atqui Matth. 28. Spiritum S. a divino Patre distinguit Christus, sicut Filium; ergo Spiritus S. vel distinctus à Patre Deus est, vel persona distincta. Sed distinctio Deitatis everteret ipsam Deitatem, uti contra Polytheos evidenter demonstratur. Ergo sic a Patre & Filio distinguitur, sicut a Patre Filius, qui unam cum Patre naturam servans sola personalitate secernitur.

§. XXVII.

At enim id ipsum est, quod capere nec Bahrdtius, nec Semlerus sufficienter possunt? Neque ego is sum, qui mysterium veritatis instar naturalis commonstrem; hoc tamen adfirmaverim, caecutire duos illos Voltairii, Rousseauvii, Socinianorum, ac veterum haereticorum simios, quando a naturalibus ad divina argumentum ducentes repugnantiam obtrudunt. Deus incomprehensibilis est: ergo Deum non credo; ecquis ita nisi Atheus concludet? Sic etiam Deum in natura unum, & in personis trinum non capio: ergo trinum non credo; quis nisi Theista inferet? — Patres adpello & SS. ecclesiae lumina, viros ex omni aevo apostolicos tam in Conciliis congregatos, quam extra illa pro sancto dogmate decertantes, quorum authoritas cum latere nec Semlerum, nec Bahrdtium queat,

„ideo



„ ideo fciant , fufficere nobis ad noftri dogmatis „ probationem, quod venientem ad nos a majoribus „ traditionem habemus, velut haereditatem quan- „ dam, per fucceffionem ab Apoftolis, continuata „ per fequentes fanctos ferie transmiffam. At illi, qui ad novitatem iftam fidei dogmata convertunt, „ multis opus haberent rationum praefidiis, fi vel- „ lent, non pulveris inftar, leves & agitabiles, fed „ graves, & animo conftantes homines ad fuam „ fententiam adducere. Quamdiu vero rudis, nec „ ratione ulla perpolita, aut argumento probata pro- „ dibit eorum opinio, ecquis ita fatuus, ac pecudi „ fimilis erit, ut Evangeliftarum & Apoftolorum, ac „ caeterorum, qui in ecclefia poftea floruerunt, im- „ becilliorem putet effe doctrinam, quam nugacem „ iftam loquacitatem omnis funditus demonftratio- „ nis expertem. „ Verba funt S. Gregorii Nyfs. (k).

§. XXVIII.

Ita eft; Bahrdtius ac Semlerus, fi extremos etiam Socinianorum & Theiftarum centones excutiant, nec minimum invenire argumentum poterunt, quo probent, repugnare tres in Deitate perfonas. Semper enim a Patribus repelluntur inconcuffum Trinitatis dogma tuentibus, & contrarium fentientes averfantibus tanquam haereticos. Certe quibus temporibus exorta eft opinio quaelibet, atque haerefis dogmati illi & traditioni contraria, ftatim

(k) l. 3. contr. Eunom. Tom. 2. pag. 126.

ſtatim ei reclamatum eſt ab univerſo chriſtiano nomine. Sic Ebioni, Artemoni, Paulo Samoſateno, Arii anteceſſoribus, ut ſcribit Alexander Epiſcopus Alexandrinus, univerſa Chriſtianorum repugnavit eccleſia. Sic Theodoto coriario, Noeto, Sabellio, Patripaſſianis, reliquis denique omnibus reſtitit, qui vel filii Divinitatem, vel Trinitatis ſinceram fidem commentis labefactarent ſuis: quod ex Ignatio, Juſtino, Irenaeo, Clemente Alex. Tertulliano & antiquioribus aliis liquet, qui illorum aequales extiterunt. Provocant ad traditionem hanc Baſilius, Athanaſius, Hilarius aliique; ex illa fidei catholicae formulas œcumenica inſtruunt concilia, quae in iſtam ATHANASII doctrinam conſpirant: „Trinitas ſancta & perfecta eſt, in Patre & „Filio & Spiritu S. Divinitatis honore dignata: „nihil habens alienum, vel extrinſecus admiſtum.„ *Athanaſ. ad Serap.* Anathematis vinculo conſtringunt Trinitatis adverſarios; & quod mireris, duo cyclopes triſurciferi recens nati, ac infauſtae Lutheri ſoboles, altiſſimum hoc myſterium per nomen Trinitatis vel trium perſonarum neceſſario exprimendum adtrectare audent, atque ad eccleſiaſticas mere quaeſtiones rejicere.

§. XXIX.

Sed enim, cum iſta differo, de impacta Semlero calumnia fors accuſabor? — Qui voces praeciſe negat ab eccleſia introductas: rem autem ſer-

vat,

(1) ad Serap. Tom. I. pag. 366.


vat, haereticus non eſt. Ita multi e Catholicis eruditi viri ipſum quoque Lutherum ab haereſi vindicant, etſi nomina ὁμοȣσιον & Trinitas aſpernetur. (m) Porro Semlerus idem, nec plus defendit; imo admittit etiam pag. 82. in pluribus novi Teſtamenti locis de S. Spiritu, quaſi de ſingulari ſubſtantia & ſubjecto ſermonem fieri. — Ita ſane! ſi probetur altera propoſitio, haud quidem in hac parte haereticum pronunciabo; at tamen longe irreverentem ac ridiculum contemptorem vocum, quas uſu ſaltem univerſali conſecravit eccleſia. Verum ut ipſe arguit contra Bahrdtium, graviſſimam perinde ſemper ſuſpicionem contra ſe relinquit, dum ſacratas illas contemnit voces. Et quo tandem pacto a Trinitatis hoſtibus ſe uterque diſcernet? Quomodo exprimet fidem ſuam erga Trinitatis myſterium? Ad hanc enimvero quaeſtionem Bahrdtius & Semlerus oportet cum Luthero concidant. — Patrem, Filium, Spiritum S. nominarunt etiam Ariani, Sabelliani, Sociniani; negabant vero in perſonis Trinitatem. Vel ergo trinitas perſonarum dogma fidei eſt: vel ſi mere quaeſtionem ſcholaſticam dicit, homines illi omnes Chriſtiani manebunt. Hoc ſane alterum admittere Semlerus videtur undique preſſus, quando ad art. Bahrd. 4. ait: „Auch ſogenannte Pnevmatomachi „blieben Chriſten, und geriethen in keine Verach„tung der chriſtlichen Religion.„ Sic autem aperte

(m) Gener Theol. dogmat. Tom. 2. part. 1. Tract. 3. l. 1. pag. 356.

perte se gregalem Bahrdtii & Socini probat miser, & Ss. omni Patrum vetustati in faciem resistit.

§. XXX.

Numquid ergo homunciones istos magis oportuit ad ecclesiam respicere definientem, quam ad opacam & obscuratam sceleribus rationem? „ Apud Moisen singularis Divinitas praecipue praedicata legitur, apud prophetas personarum binarius diligentius commendatur; Trinitas denique in Evangelio, ac nova lege demonstratur. „ Inquit S. EPIPHANIUS (n). Adhuc magis graphice sciolis illis obponit traditionis scutum, & authoritatem ecclesiae Nazianzenus GREGORIUS (o): „ Sic enim, inquit, se res habet: Vetus testamentum Patrem aperte praedicabat; Filium obscurius. Novum autem nobis Filium perspicue ostendit; & Spiritus Divinitatem subobscure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur; seque nobis apertius declarat. „ Horreant itaque nugivenduli verissimum illud ATHANASII pronunciatum (p) „ in Trinitate initiatio perfecta consistit. Ita qui Filium a Patre dividit, aut Spiritum ad creaturarum conditionem detrahit, neque Filium habet, neque Patrem, sed Atheus est, & infideli deterior, & quidvis potius, quam Christianus. „ Atqui Bahrdtius & Semlerus in ariana illa de Trinitate

 contro-

(n) haeres. 74. (o) Orat. 37. (p) ad Serap. pag. 367.



controversia tam sibi, quam aliis in conscientia saltem licentiam dant sentiendi, quod lubet; si illos audias, poteris per Spiritum S. intelligere passim effectus Dei, dona Dei, opera Dei, & sic illum ad creaturarum conditionem detrahere; ut enim Semlerus inquit: „ πνευμα αγιον nuspiam denotat „ nomen ipsius Dei. „ pag. 83. Ergo Atheum fieri licet, infideli deteriorem, & quidvis potius, quam Christianum.

§. XXXI.

Ad vos igitur DD. Protestantes mea se convertit oratio. Non unum, sed duos nutritis in sinu vestro homines periculosos. Si contra Bahrdtii tolerantiam inclametis; cur sinitis impune Semlerum? — „ Contundendae sunt insolentes adver-„ sus Deum disput tiones, & destruenda rationum „ fallacium munimenta, & elevata ad impietatem „ ingenia conterenda, nec carnalibus armis, sed „ spiritualibus, nec terrena doctrina, sed cae-„ lesti sapientia; ut quanta rerum divinarum, hu-„ manarumque discretio est, tantum ultra terrena „ studia ratio caelestis excedat. „ S Hilarius (q) — Semlerus ait art. cit. contra Bahrdtium pag. 83. „ Gelehrte, als Gelehrte müßten sich schämen, „ wenn sie in den Lehrsätzen de Trinitate einander „ solche Irrthümer Schuld geben, die die eigne Se-„ ligkeit umstießen, und umwürfen; denn so wich-„ sind alle Fragen der Scholastiker, und Dogmatiker

(q) l. 12. de Trinit.

„ ker niemalen geachtet werden. „ Compescatur cum Bahrdtio soli sibi ultra ecclesiam universam sapere volens tenebrio ; convincatur, non sufficere modo, si confessionem Augustanam externe fateatur duntaxat, interius vero contra illam credat simulator pessimus. Et enim quamdiu fides interna externae respondere non debeat, quamdiu liberum sit protestantibus professionum suarum formulis interne discredere ; ignoscant mihi, si politicam tantum, & neutiquam sacram, neutiquam supernaturalem, neutiquam christianam illorum religionem coram toto orbe pronunciem.

§. XXXII.

Jam ad art. Bahrdt. 5.tum pergamus, quem de Christi Divinitate ponit. „ Credo, inquit, Deum „ in & cum Christo fuisse, ideoque nos omnes ad„ stringi, ut honoremus Filium, sicut Patrem. „ Verum quo modo in Christo Deus fuerit, num in „ ATHANASII sensu (quem omnium vilissimum re„ puto) num in Arii, aut Sabellii, aut cujusdam „ alterius ? Id equidem ad religionis finem, puta, „ ad emendationem hominum & tranquillitatem, „ indifferens admodum est ; neque decidi ecclesia„ stica unquam authoritate deberet, sed proprio re„ linqui cujuslibet judicio. Interea tum ex ratione, „ cum e Scriptura videtur mihi, ad summam usque „ evidentiam posse demonstrari, quod Christus & „ unus Deus Jehova, quem Patrem suum vocat, „ inter se valde differant : quodve Christus in eo-



„ dem ſaltem ſenſu non vocetur Deus, in quo Je-
„ hova Deus dicitur; ſicuti ipſe Joann. 10. ſatis
„ clare, ac ſincere de ſe declaravit. „

§. XXXIII.

Socinianae huic ex aſſe profeſſioni duo praeſertim Semlerus reſpondet. Primo quidem per tres omnino columnas & ultra carpit denuo Bahrdtium, quod doctrinam hanc apud ſe non retineat, ſed integrae etiam ſocietati quaſi ſectandam proponat; cum tamen ſola ſocietas jure publico gaudeat ſimilia decidendi, declarandive. „ Gleichwie die „ Geſellſchaft, ſunt verba Semleri, ein für allemal „ alles entſcheidet, was durch Zeit und Ort beſtiṁt „ werden kann, ob die öffentliche Verſammlung „ zum Gottesdienſt dieſe oder jene Umſtände und „ Einrichtung begreifen ſoll, ohne alle Tage dem „ Lehrer Abänderungen zu verſtatten; ob die Kanzel „ und Orgel da oder dort dort ſtehen ſoll, wenn „ gleich viele einzele Mitglieder darüber anders denken „ mögen: ſo entſcheidet ſie auch die Redensarten, „ welche zum öffentlichen gemeinen Unterricht, zu „ Geſängen und Gebethen gleichförmig gebraucht „ werden ſollen. „ pag. 87. — Dein ſecundo, quaſi defectuoſam traducit Bahrdtii deſcriptionem. Unde ſponte concedit, Chriſtum & unicum Deum Jehova valde differre: Neque Chriſtum in eodem ſenſu vocari Deum poſſe, in quo Deus Jehova dicitur; ſive ſpectetur intellectus Judaeorum, ſive Chriſtianorum.

norum.

norum. pag. 89. & 90. De posterioribus fatetur, eos nomen Jehova a nomine λογος seu unigenitus discrevisse, nemini vero ex illis incidisse, ut Deum Jehova idcirco Deo λογος quantum ad naturam infinitam opponeret. pag. 91. & 95: „ Nemlich die „ weitere Entwicklung des einen höchsten Wesens „ wurde entweder der Unbegreiflichkeit wegen, gar „ nicht versuchet; oder von den Lesern des neuen Te„ staments eben aus den Beschreibungen, mein Va„ ter, der Vater, der eingebohrne, der einzige „ höchste Sohn, der erstgebohrne, durch den alles „ geschaffen ist, nach ihren guten Gewissen zusamm„ gesetzt, welche sich auch in der unsichtbaren geist„ lichen Welt einen Zusammenhang Gottes dachten, „ wozu sie allerley Schriftstellen erbaulich anwende„ ten. „ pag. 91.

§. XXXIV.

Atque haec fere sit Semleriana Bahrdtii confutatio. Clariora tantum citavi verba, ne lectoribus stomachum moveam, si integram dictionem obscuritatibus ac tenebris maxime implexam commemorare voluerim. — Et sane multum adversus Bahrdtium Semlerus obtinet, dum ad integram societatem pertinere jus aliquod decidendi adfirmat, quale Paterfamilias quilibet ad suam domum ordinandam habet. Eamdem quam in determinandis his aut illis circumstantiis ad externum religionis cultum & disciplinam adtinentibus: quam item in materiali quadam cathedra, vel organo sic aut

ſic ponendis poteſtatem habet Societas; eamdem etiam in dogmatibus obtinet praeſcribendis. Quamquam quid dico: in dogmatibus? nur in Redensarten, welche zum öffentlich gemeinen Unterricht gebraucht werden. Miſera ſocietas, cui iſta ſolum, nec major poteſtas competit, quam ridiculam facis in mundo figuram, cui membra individua ſaltem interne reclamare poſſunt: Stulta eſt ordinatio tua? ſed adhuc Semlerus miſerior, qui ad loquendi modos praeciſe refert uſum ſanctarum illarum vocum, quae ex traditione eccleſiae totius myſterium Trinitatis, Chriſtique Divinitatis exprimunt. — Hercule! non eſt hoc accuſare Bahrdtium, ſed excuſare.

§. XXXV.

Ulterius dum alterum hujus ipſius principium ratum habet de omnimoda Jehovae, ſeu unius Dei & Chriſti differentia: Dumque eamdem eſſe Lutheranae. Calviniſticae, & Catholicae eccleſiae mentem adſerit Semlerus, aut fallit, aut fallitur. Equidem Chriſtum & unum Deum Jehova, quem Patrem ſuum adpellat, perquam diverſum quid eſſe, facile omnes concedimus. Chriſtus enim principium ſtabile completum actionum Theandricarum eſt, ope illius humanitatis ut inſtrumenti edendarum, quam ceu comprincipium inſtrumentale perſona Chriſti compoſita importat: Deus Jehova ſe ſolo non eſt tale principium completum, ſine humana natura. At enim in eo Semlerus cum Bahrd-

tio

tio errat sane gravissime, & contra omnem ecclesiarum sententiam; cum mox continue & illud concedit, Christum non in eodem sensu Deum adpellari, in quo idem Deus unus seu Jehova appellatur. An enim non liquido huic haeresi reclamat Paulus (r): *Deus Jehova erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum?* Utique ut comprincipium stabile omnium actionum Christi? Ac proinde ipse erat Christus. & Christus est Deus Jehova. Hoc non alio sensu dicitur (s); *Verbum caro factum est*, id est, Verbum factum est principium personale humanarum actionum: *& Deus erat Verbum.*

§. XXXVI.

Quam igitur proterve toti antiquitati Semlerus non imponit? Et enim num Jehova idem, quod Pater: λογοσ idem quod filius indicat? ex ipsamet confessione adversarii Jehova denotat unum Deum, & λογοσ unigenitum, rationem, verbum. Jam autem, quod filium a Patre, qui Jehova dicitur, discreverint ecclesiae catholicae Patres & Concilia, verissimum est; distinxisse vero λογον seu unigenitum, rationem, verbum ab uno Deo seu Jehova, id basilice falsum, & execrandum mendacium est. — Notissima est Arianorum historia; Deum esse Christum illi simpliciter fatebantur: idque in omnibus fidei formulis exprimebant, sed ea

 mente,

(r) II. Cor. c. 5. v. 19.

(s) ...

mente, ut unum esse dicerent summum Deum, quem τον επι παντωθεον vocabant; unde libenter ac saepe unum esse Deum, Jehovam, jactitabant, ut refert Saebadius Aginensis. Adversum has igitur perniciosas religioni vulpes universa surrexit ecclesia, non agnoscens modo, sed definiens quoque Christum unigenitum verum pariter & unicum Deum esse. Vix opus est aliorsum, nisi ad vetustissimum Nicaeni Concilii confugere symbolum. Ibi vocatur Christus Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, consubstantialis Patri; quam adpellationem dignissimam in hoc usque tempus S. Mater ecclesia intemerate semper custodit & servat. Sed neque illud latere quempiam potest, a Nicaeni temporibus universam semper ecclesiam Athanasii sensum adoptasse, qui certe talis est, ut Christum verum Deum, aeternum Deum, unicum Deum, constanter adserat, atque traditionem totius ecclesiae veteris jam ipse adpellet (t): „ Ecce nos ait, demonstramus ejusmodi sententi„ am a Patribus ad Patres, quasi per manus tra„ ditam esse. Vos autem novi Judaei & discipuli „ Caiphae! quos verborum vestrorum Patres ac „ majores demonstrabitis; cum ne unum quidem „ ex prudentioribus & doctis auctorem citare possi„ tis? „ Quid ultra? SS. Patres omnino omnes Dei Filium adseverant fuisse etiam Israelis Deum, legis antiquae Deum, atqui Deus antiquae legis

certe

(t) L. seu Epist. de decret. Nic.

certe Jehova dicitur. „ Dei Filius inquiunt cum „ Justino (u) Deus Dominus, verbum, Dominus „ virtutum, & Deus Israelis vocatur. „ — Rursum contra Arianos ita semper arguebant: λογοσ seu verbum Deus est; ergo Deus verus est; si verus; ergo unicus: ergo Deus Jehova. Vide Hilarium (w) Athanasium (x) Ambros. (y) August. (z) Cyrill. (a) — Licet vero Patres τον επι παντωθεον solum non nunquam adpellaverint Patrem, tamen & λογω, filio, verbo nomen idem toties adtribuerunt, quoties contra Arianos decertarunt; in priori sensu nomenclatura illa erat notio personalis, & exprimebat totius naturae & essentiae fontem, originem ac principium: In posteriori sensu erat notio Divinitatis, ac denotabat Deum summum & increatum.

§. XXXVII.

Non ergo obstat notio personalis, quo minus Christus in eodem sensu vocari Jehova possit, quo Pater cœlestis; quandoquidem Jehovae nomen non est personae nomen, sed naturae, totusque Christus in una persona Deitatis subsistit per hypostati-

 cam

(u) Dial. cum Tryph.
(w) L. 7. de Trinit.
(x) Orat. 1. 4. & 5. contra Arian.
(y) L. 1. de Fide c. 7.
(z) L. 1. de Trinit. c. 7.
(a) L. Thesauri c. 32.

cam unionem. Heinc recte utique, sed minus consequenter, Semlerus ait, incidere Christianorum nemini, ut nomen Jehovae nomini λογοσ opponat quantum ad essentiam infinitam. At enim secundum obscuri hujus authoris principia saltem forte opponitur. „ Die Bestimmung der „ Person oder notio personalis ist nur von Gelehrten „ zum Widerspruch gegen andere Gelehrten, und „ zum Unterschied der äusserlichen Gesellschaft aufgebracht worden. „ pag. 90. Igitur saltem absolute potest esse, non dari personas in Deitate distinctas? Ergo saltem potest esse, Christum non esse Deum: vel dici potest, Patrem esse incarnatum? — Has sequelas si non apud se cognoverit Semlerus, aliqua adhuc venia tanquam imbecillis homuncio dignus est. Quodsi persenserit, ab Arianismo vel Socinianismo liber non est. Certe si mancam Bahrdtio imputet professionem, quid de professione ipsius valde implexa censendum? Ait enim sub finem art. 5. pag. 95. „ Wir glauben, „ daß Eingeborner, Erstgeborner vor aller Creatur, „ einer, der im Schoose des Vaters ist, zu Gott „ und zur Ewigkeit gehöre. „ Quaeso te, numquid hoc idem Arianus quilibet & Socinianus dicit? Scilicet audacter adfirmem, injuriam Semlero nullam fieri, quando in castris Socinianorum hominum Crellii, Schlichtingii, & aliorum stipendia meruisse dicitur. Satis est manifestandae Arianae ipsius menti vel sola in Joannem paraphrasis, ubi erra-

errata ſua explicatius proponit, dum ad ea verba Evangeliſtae: *& Deus erat Verbum;* ſcribit: „Sed „ non ille Deus, προσόν ἦν, apud quem erat. „ pag. 5. Et rurſum: „ Certum eſt, Joannem de- „ ſcribere iſtis tam auguſtis nominibus λογοσ, „ θεοσ, μονογενησ, & ſimilibus Phraſibus non „ hominem: Humana tantum natura praeditum; „ ſed Deum, licet non τον θεον, id eſt, ſpiritua- „ lem, ſummam ſubſtantiam. „ Similia repetit contra Bahrdtium in ejus refutatione pag. 10. „ Logus, der eingebohrne Sohn, iſt auch Gott, „ wenn gleich nicht ὁ θεοσ. „ — Quaeſo nunc amice Lector! quid mecum de Semlero ſtatues? Verbum non eſt Dens, non eſt ſpiritualis ſubſtantia; quid ergo? & tamen Deus? numquid Deus quispiam minor, Gentilium more? En Polytheum, Arianum, aut Socinianum! Schlichtingius apud Petavium l, 16. de incarn. c. 4. n. 4. Hoc idem Semlerum docuerit; obſervat & ille, Verbum ita nominari Deum, ut in graeco non ſit ὁ θεοσ cum articulo; ſed ſimpliciter θεοσ: ut indicaret Evangeliſta, non ejusdem conditionis eſſe Divinitatem illam, quae Patri tribuitur, cum apud Deum fuiſſe Verbum dicitur. Quippe ſummus ibi Deus intelligitur, aqud quem erat Verbum. — Numquid ergo poſſumus Semlero Bahrdtium carpenti oggerere: e Socinianorum hominum, non autem ex horto eſt floſculus ille tuo? & hinc: Ohe, quam niger es, dicebat cacabus ollae?

§. XXXVIII.



§. XXXVIII.

Ad hunc tandem labyrinthum illi deveniunt, qui relicto infallibilis ecclesiae judicio privatum suae rationis nimium obtenebratae ductum sequuntur. Quaeso te Semlere vir bone! si tamen vir bonus es; ni velis Bahrdtio Socinianismi aperte convicto adsentiri, utere terminis, explicatione utere ecclesiae. Confitere ut fide divina certum, tres dari in Deo personas, unam in Christo. Unam vicissim in Deo naturam, duas in Christo. Sic sancta definivêre Concilia: sic contra Divinitatis & Incarnationis hostes perpetuo tenuit ecclesia: sic capies, distinctum quid a Jehova Christum esse, quamvis & ipse adpellari Jehova debeat: sic senties, a Patre distingui Filium, λογον & verbum, quin Filius, λογοσ & verbum a Jehova distinguatur, id est, a summo & unico Deo. Atque ita unus Deus, Jehova, in ecclesia praedicatur, qui est super omnia, & in omnibus; super omnia, επι παντων, quidem ut Pater, ut principium & fons; Jehova! per omnia vero δια παντων, per verbum; Jehova! in omnibus autem εν πασι in Spiritu sancto; Jehova!

§. XXXIX.

Hoc itaque sanctum dogma sanguine obsignare paratus sit Christianus: etsi Christus duplicem naturam habens divinam & humanam, sit aliquid, quod non est Pater; tamen est idem Deus, qui est Pater, proindeque Jehova dici non modo potest,

sed

ſed debet etiam, ſicut Pater. Eſt magnus Deus, ſicut Pater: *Expectantes beatam ſpem & adventum gloriae magni Dei, & Salvatoris Jeſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis* (b). Eſt Dominus gloriae ſicut Pater: *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum crucifixiſſent gloriae* (c). Quo in loco vis eſt cogitanda vocabuli gloriae, δοξης, quam hebraei Majeſtatem nominant, & pro Deo ipſo ſummo uſurpant. Eſt fabricator & creator ſicut Pater: *Amplioris enim gloriae prae Moiſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domu, qui ſabricavit eam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creavit, Deus eſt* (d). Eſt denique Dominus, ſicut Pater. *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia & nos in illum; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum* (e). Hoc loco contra Arianos frequenter utuntur Patres, at maxime CHRYSOSTOMUS, qui vocabulum Domini nihilo inferius eſſe oſtendit, quam Dei, idque ſaepius in Scripturis uſurpari de ſumma illa majeſtate, Jehova. Sed & alia ſuppetunt Scripturae loca, ex quibus id ipſum evincitur. Paulus inquit: *Omnis, qui credit in illum, non confundetur, non enim eſt diſtinctio Judaei & Graeci; nam idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum: omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini* (hebraice beſchem Jehova) *ſalvus erit.* (f) Non poteſt haec iterata adpellatio Domini τȣ Jehova ad alium

quam

(b) Tit. 2. v. 13. (c) 1. Cor. 2. v. 8. (d) Hebr. c. 3. (e) 1. Cor. 8. (f) Rom. 10. 11.

quam ad Chriſtum referri, ut liquet ex his, quae praecedunt v. g. *quia ſi confitearis in ore tuo D. J. & in corde tuo credideris* (g). Jeſus Chriſtus igitur eſt ſummus ille & aeternus Deus Jehova. — Et alio in loco: *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti; ſcriptum eſt enim Iſ.* 44. 23. *dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo: itaque unusquisque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo* (h). Vox hebraica apud Iſaiam l. c. iterum eſt Jehova nomen Dei ſummi & aeterni, quod Apoſtolus citra controverſiam Chriſto Domino tribuit, cui omnis lingua confitebitur, quem laudabit, atque Deum agnoſcet. Stulte igitur, & imprudenter impius Apoſtata Julianus apud Cyrillum mentitur, praeter Joannem Evangeliſtam, neque Paulum, neque caeteros Jeſum Chriſtum nominare Deum. Quod quam falſum ſit, & Cyrillus pluribus ibidem explicat (i), & quae adtulimus loca, demonſtrant.

§. XL.

Sileat ergo in aeternum Bahrdtius; deſinat dubitare, num in Athanaſii, num in Arii, Sabellii, aut aliorum haereticorum ſenſu Deus in Chriſto ſit? Pudore ſuffundatur ad fidem Thomae: *Dicit ei: Dominus meus & Deus meus.* Paveſcat ad Joannis primum caput, quo omnis, quae contra Trinitatem, Chriſtique Deitatem utcunque pugnat, pro-

(g) ibid. v. 10. (h) Rom. 14. 10.
(i) l. 10. contra Julian.

profligata jam pridem eſt haereſis; ideoque & blaſphema Bahrdtii lingua confoſſa, politicumque Semleri os contuſum. Audiatur AMBROSIUS (l):
„ Erat apud Deum. Erat, erat, erat, erat, ecce
„ quatuor erat. Ubi impius invenit, quod non e-
„ rat? Alibi quoque Joannes in epiſtola ſua dicit:
„ Quod erat in principio. Indefinite tenditur: Erat.
„ Quidquid excogitaveris, erat Filius. Omnes
„ autem haereſes hoc capite brevi noſter piſcator
„ excluſit. Quod enim erat in principio, non ex-
„ cluditur tempore, non principio praevenitur.
„ Ergo Arius conticeſcat. Quod autem erat apud
„ Deum, non commiſtione confunditur; ſed ma-
„ nentis verbi apud Patrem ſolida perfectione diſtin-
„ guitur, ut Sabellius obmuteſcat. Et Deus erat
„ verbum, Non ergo in prolatione ſermonis hoc
„ verbum eſt; ſed in illa caeleſtis deſignatione vir-
„ tutis, ut confutetur Photinus. Quod vero erat
„ in principio apud Deum, ſempiternae Divinita-
„ tis in Patre & Filio inſeparabilis unitas edocetur,
„ ut erubeſcat Eudoxius & Eunomius. Poſtremo
„ cum omnia per ipſum facta dicantur, ipſe condi-
„ tor novi utique teſtamenti, & veteris deſignatur,
„ ut Manichaeus locum tentationis habere non poſſit.
„ Ita piſcator bonus intra unum omnes rete con-
„ cluſit, ut faceret inhabiles fraudi, quamquam
„ eſſent inutiles captioni. „ — — Etenim S. Joannes Bahrdtium quoque & Semlerum fecit inhabiles

(l) l. 1. de fide ad Gratian. c. 5.

biles fraudi ; Bahrdtium, qui Ario, Sabellio & Photino manus dat : Semlerum vero qui tam procaciter scribit; „Unsre Lehre von der Gottheit „Christi und des Heil. Geistes ist keineswegs der „Sinn des Athanasius, oder des 4ten und 5ten „Jahrhunderts; und gehört überhaupts nicht in „den gemeinen Unterricht; ganz und gar nicht.„ pag. 27. — — „Die Bestimmung der Personen „eines und desselben Wesens hat niemand zum „Grund und Innhalt der christl. Lehre und Wohl„fahrt gerechnet. pag. 28. — — „Ein für seine „Gesellschaft treuer und rechtschaffener Lehrer behält „die Sache, den Begriff, und schenkt die Worte, „Person, Dreyeinig- und Dreyfaltigkeit, Ho„mousios, Erbsünde.„ pag. 29.

§. XLI.

Porro quid de gratia Dei, satisfactione & meritis Christi, ac demum necessaria in Eumdem fide censeat Bahrdtius, videamus. Sic ergo loquitur in art. 2. „Credo, hominem ut cetera bona om„nia, quae habet, ita & omne bonum morale, „quod in ipso est, gratiae Dei in acceptis referre „debere. Quod vero Deus hominum emendatio„nem ipsus efficiat; neque aliud quid praestet ho„mo, nisi ut passive erga Deum se habeat, contra„rium est Scripturae, errorque iste maximam „partem dependet a gratiae notione, quam pleri„que D.D. ecclesiae sinistre hactenus acceperunt.„ Ita Bahrdtius. — Ubi quidem prima pars, quam adfir-

affirmat, catholica eſt: pars tamen altera ſatis obſcura explicatione indiget ulteriori. Vel itaque *disjunctive* aſſerere cogitat, neque Deum ipſum emendationem hominis operari, neque hunc mere ſe paſſive habere? Et in hoc ſenſu haeretica eſt illius propoſitio, ac immediate in faciem contradicit S. Paulo (m): *Deus eſt, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Vel *copulative* ſumpſit, ita ut indicare voluerit, Deum non ſic operari emendationem hominis, ut hic mere paſſive ſe habeat? Atqui hoc juxta ſentimus cum Bahrdtio omnes Catholici, qui libertatem hominis & cooperationem ſimul cum gratia Dei conſiſtere adverſus Lutherum & Calvinum conſtanter defendimus.

§. XLII.

Equidem de Semlero unicam hic facere mentionem juvat. Ille ſimpliciter & ſeorſim negare voluiſſe Bahrdtium innuit, Deum hominis emendationem non efficere. At enim ſi Bahrdtius copulative tantum ſuam ſumpſiſſet propoſitionem? Quid ſi denotare ſolum voluiſſet, non ſic in nobis operari gratiam, ut mere nos paſſive ad illam habeamus? Audi Semlerum pag. 73. „Wir haben keine ſolche „Gratiam angenommen, die der freyen vernünfti„gen Natur des Menſchen nicht angemeſſen ſey.„ Idem quam plurimi ſuis in ſcriptis cum Semlero adfirmant Doctores evangelici hodierni, inter quos

E ma-

(m) Philippenſ. c. 2. v. 13.



maxime Tellerus : „Die Wirksamkeit der göttli„chen Gnade hebt demnach keinesweges die Wirk„samkeit des freyen Willens auf, sondern sie erhöht „die Kraft desselben zur Wahl des Guten; sie er„setzt zuerst das, was derselben an zureichenden „Vermögen zur Wahl, und zum Wollen des Guten „fehlt, und überläßt es sodann dem Menschen, ob „er fernern Gebrauch von den Heilsmitteln, durch „welche sie sein Bestes ordentlicher Weise bewirkt, „und die sie durch ihre Mitwirkung bekräftiget, ma„chen will, oder nicht.„ (n) — Optime! catholice! at non lutherice; ſcimus enim, ut aliter longe Lutherus & Calvinus gratiae & libertatis ſyſtema conceperint. Juxta ipſos humana voluntas in medio poſita eſt, ceu jumentum : ſi inſederit Satan, vult & vadit, quo vult Satan : ſi inſederit Deus, vult & vadit, quo vult Deus. Lutherus & Calvinus humanam libertatem directe e medio ſuſtulerunt, ac hominem actuum ſuorum ne inſtrumentalem quidem liberam eſſe cauſam defenderunt. Contra faciunt eruditi e Proteſtantibus hodierni. — — Adplaudo eccleſiae meae Romano-catholicae, cui demum in hoc dogmate adcedunt D. D. Proteſtantes, abſurditatem doctrinae Lutheri ſcholiarchae ſui hac in parte confeſſi; & quamvis pag. 73. Semlerus velit, „Es ſey in dem ſogenannten „Pelagianiſmus ſehr viel Wortſtreitt;„ eccleſiae meae tamen plaudo, quam vel nolentes adverſarii

Magi-

(n) L. Bahrdts berichtigtes Glaubens Bekenntniß pag. 33.

Magiſtram veritatis contra Lutheri & Calvini falſitatem ipſo facto agnoſcunt.

§. XLIII.

Similem accinam eidem eccleſiae gloriam, ubi art. Bahrdtii tertium, & Semleri reſponſionem conſideravero. Pergit itaque ille: „ Credo, Deum „ ex mera nobis gratia condonare peccata, no„ ſtramque virtutem, & in bono fervorem, qui o„ rigine ſua ipſus beneficium Dei, etſi tam multis „ defectibus maculatus, dici debet, aeternae mer„ cedis & ſalutis dignum haud eſſe; item & vir„ tutem noſtram ac emendationem ex una parte „ conditionem exiſtere, ſub qua Deus nobis remiſ„ ſionem peccatorum, aeternamque ſalutem intui„ tu Chriſti, divinaeque promiſſionis largiatur: ex „ altera tamen parte eandem virtutem eſſe fontem „ ſummae felicitatis naturalem. Quod autem Deus „ humani gratia ſacrificii mea mihi peccata remit„ tat, ac ob alienam praeciſe virtutem meae vir„ tutis maculas ignoſcat, iſtud cum mea pugnat „ ratione, nec in Scripturis quidpiam de eo repe„ rii. „ Ita Bahrdtius art. 3. — Porro quatuor potiſſimum ſunt, quae hic profitetur auctor. 1mo Virtutem & fervorem noſtrum beneficium Dei origine tenus quidem, aeternae tamen ſalutis ac mercedis dignum haud eſſe. 2do, eſſe nihilominus conditionem, ſub qua Deus remiſſionem peccatorum ac ſalutem illam largiatur intuitu Chriſti, divinaeque promiſſionis. 3tio, eamdem virtutem

noſtram exiſtere fontem ſummae felicitatis naturalem. 4to, pugnare tamen cum ratione, neque de eo in Scripturis quidpiam reperiri, quod Deus humani gratia ſacrificii & ob alienam praeciſe virtutem hominibus ignoſcat.

§. XLIV.

Reſponſiones, quas ad haec Semlerus dedit a pag. 74. partim bonae ſunt, partim malae. Bonas ex eccleſiae catholicae ſcrinio mutuavit; malas ab infideli vel ſceptico ſumpſit cerebro. Itaque 1mo concedit lubens, virtutem noſtram ſummae felicitatis fontem eſſe naturalem; An item noſter in emendationem internam conſenſus, conditio beatitudinis dici debeat? veterem eſſe controverſiam. 2do Dicit: An intuitu Chriſti nobis conferri ſalutem, idem ſignificet, quod intuitu divinae promiſſionis per Chriſtum factae? An vero idem, quod intuitu divinae promiſſionis propter opera Chriſti praeviſa factae? Rurſum non decidet Bahrdtius. — — Primum tueri vult ipſe; — alterum tenemus juxta omnes trium eccleſiarum Catholici. — Eccur igitur hanc noſtram doctrinam praeclaram adeo cum alia commutemus longe minori, quam in Scripturis tam bene fundatam non reperimus? — — 3tio Ablegat Bahrdtium ad epiſtolam Pauli ad Hebraeos, ut inde diſcat excelſi pretium ſacrificii, quod Chriſtus obtulit ſe ipſum Deo in cruce tradens, ſuoque ſanguine fœdus novum ſpirituali, perfectoque modo eri-

erigens. In eadem epiſtola vigor praecipuus, & ſumma totius haec eſt: externa, communia, & viſibilia ſacrificia non operantur in conſcientias hominum; ſed externam mere habitudinem ſocietatis continent. Chriſtus vero in maximo, perfectiſſimoque ſenſu ſacerdos eſt, qui unicum Deo per ſe ipſum adtulit ſacrificium. Proprie tamen Chriſtus neque ſacerdos eſt, neque ſacrificium; ſed Deus reconciliavit homines ſecum ipſo, eamque voluntatem ſuam per Chriſtum libere paſſum, & quia ipſe voluit, oblatum publice promulgavit. Non ergo ſacrificium, ex altiſſimo, quem Deus praeſcripſit, fine a Chriſto praeſtitum dici mere humanum poteſt; quam maxime ſpirituale hoc fuit, taleſque effectus protulit, quales nec per omnia quidem ſacrificia corporalia proferri poſſunt. Non itaque humanum illud vocari debet. — Ita fere Semlerus non tam quoad verba, quam quoad ſenſum. Nolui enim integram ejus reſponſionem transſcribere, quae in eo maxime verſatur, ut probet Bahrdtium non debuiſſe ſenſa ſua aliis obtrudere Chriſtianis; eosque perinde ad infidelitatem non deduci, quod divinum credant fuiſſe Chriſti ſacrificium.

§. XLV.

Ubi vides cum primis amice Lector, ut denuo veritatem doctrinae de bonis operibus ad ſalutem neceſſariis ab Eccleſia Romano-Catholica conſtanter aſſertam, a Tridentino noviter definitam, & a turbulentis duntaxat hominibus Luthe-



ro, Calvino, Chemnitio aliisque id furfuris inficiatam reaffumant D. D. Proteftantes hodierni, nihilque amplius commune fibi effe velint cum erroribus anteceſſorum fuorum, quos illi de fide fola juftificante tradiderunt. Accufat Bahrdtius Evangelicorum omnem ecclefiam de dogmate pugnante revera cum omni fana ratione; quod videlicet juftificatio hominis fiat unice per imputationem alienae juftitiae & virtutis fine propria cordis converfione, & emendatione: Ideoque fe profiteri dicit, virtutem noftram, quae & ipfa purum Dei beneficium fit, originem effe fummae felicitatis noftrae, & juftificationis conditionem. §. XLIII. Atqui hac in parte Bahrdtio Semlerus reftitit, coram omni Evangelica Ecclefia palam proteftatus; injuriam fieri ecclefiae fuae talium dogmatum affictione. §. XLIV. Et vero; confitentur hodie fatis publice & communiter doctiffimi quique Lutherani, fidem requiri, non folum, quae fit affenfus de veritate doctrinae Chrifti, & importet certam fiduciam de implendis grandibus promiffis nobis ab ipfo factis, & ipfius morte firmatis: fed quae per caritatem operetur. Haec in Scriptis illorum publicis contradicente nemine ex Evangelica ecclefia leguntur. Admittunt itaque revera paffim Proteftantium Doctores ultro etiam illud, quod vult Bahrdtius, quodque volumus omnes Catholici, bona opera & obfervantiam mandatorum Dei, certiffimam effe conditionem (etfi hoc praecife voca-

bulum

bulum horreant) sine qua vita beata nulli adulto Christiano ob solam fidem ac fiduciam obtingat. ,, Virtutem nostram esse fontem beatitudinis natu- ,, ralem, ideoque a Deo nobis injunctam praecep- ,, tamque, notissimum pridem est; ,, inquit Semlerus. pag. 75.

§. XLVI.

Prodit se mirum quantum infirmitas Protestantium. De necessitate bonorum operum de facto plerique conveniunt cum Catholicis; & tamen hoc dogma verbis scripturae, Confessioni Augustanae, & Lutheri scriptis capitaliter repugnare pridem plenis buccis clamitarunt. Notissima est, quam hac super re cum Georgio Majore habebant, altercatio; notissima colloquii Altenburgensis expressio, cujus hic verba referam, prout inveni in Tanneri Anatom. Confess. Aug. p. 3. tit. 3. pag. 70. ,, Plurimae ecclesiae passim in Germania ,, annos jam complures ista dogmata D. Majoris cum ,, privatim, tum publicis scriptis arguerunt; reje- ,, cerunt, damnarunt, ut Saxonicae ecclesiae in ,, judicio adversus Interim, & postea in alio pecu- ,, liari scripto, cujus titulus est: Sententia mini- ,, strorum Christi in ecclesia Lubecensi, Hambur- ,, gensi, Luneburgensi, & Magdeburgensi, de cor- ,, ruptelis doctrinae justificationis, quibus Georgi- ,, us Major asserit, bona opera esse ad salutem ne- ,, cessaria &c. anno 1553. Item in Synodo Luneburgensi anno Domini 1561. cujus verba in articulo de Ministris ita sonant: ,, Können also demnach



„ Majoris propositionem und Lehre, als eine greuliche Verfälschung wider Gottes Wort, und die „ Augsburgische Confession, auch keineswegs billigen, dulden, noch leiden. „ — — — Et infra: „ Non habent D. Major, aut ejus infelices Patroni „ unicam unius ecclesiae purae censuram, in qua „ ista Pontificia D. Majoris, & paucorum aliorum „ dogmata hactenus publice adprobata fuissent: „ — Hactenus Saxonici Theologi; qui clare testantur, quasi totius, ut ita dicam, Lutheranismi doctrinam suo tempore fuisse, bona opera non esse ad salutem necessaria. Et nunc derepente eamdem ipsam doctrinam ambabus complectuntur manibus Protestantes, quam D. Major defendit. Mei Domini! quis docuit vos? nimirum ecclesia Romano-Catholica, quae Lutheri jam tempore in talis possessione doctrinae fuit.

§. XLVII.

Eja itaque, circa priora tria puncta §. XLIII. indicata quaeso vos D. D. Protestantes, vocabulariam semovete litem, & cum Catholicis in hac parte quam exactissime convenietis. Bona opera nostra & virtutes adjutae meritis Christi, supernaturalique ejus gratia vere ac proprie merentur aeternam beatitudinem, suntque ad eam acquirendam omnino necessariae. Rursum; bona opera, a justo secundum exemplum Dei- hominis sincerissimo in Deum amore non sine grandi sui ipsius victoria & pravorum affectuum sacrificio exantlata, Deo ob simi-

ſimilitudinem ſuam cum divinis perfectionibus, & exemplum Dei-hominis ita placent, ut moveant illius infinite promtam ad remunerandum largitatem, ut juſto perſeveranti ad usque vitae finem in talium operum exercitio, vitam aeternam pro praemio retribuat. Haec, inquam, duo nobis principia concedite, & ſentietis catholice; neque vobis quispiam litem ullam intentabit de eo, num merita noſtra conditio vocari debeant, num de condigno vel de congruo ſalutem aeternam mereantur. Atque iſta duo principia ſi inficiari Bahrdtius non cogitavit; ſi ſolum voluit 1mo opera noſtra & virtutem non habere ſalutis aeternae meritum ex ſe *condignum*; 2do, illa tamen eſſe meritum verum & conditionem neceſſariam, ſub qua beatitudo promiſſa eſt: 3tio denique, illa eſſe fontem ſummae felicitatis naturalem, conſequenter ad hoc, quod a ſupernaturalis gratiae auxilio procedant; tunc, inquam, Bahrdtius in hac parte non ſenſit haeretice, ſed reliquis accedit Lutheranis doctioribus in doctrina de ſatisfactione & meritis Eccleſiae Romano-Catholicae collum ſubmittentibus.

§. XLVIII.

At enim ultimis maxime verbis omne, quod antea confeſſus eſt, ſubvertit, & Socinianum denuo virus prodit. Cum ratione pugnare, nec in Ss. Literis reperiri adſerit protervus Novator, quod Deus humani gratia ſacrificii & ob alienam praeciſe virtutem hominum peccata remittat, maculas-

que adhaerentes noſtris operibus tergat. Pelagianum hoc eſt, Arianum, Socinianum, & neſcio quid amplius vocem. — Scilicet defectuoſa haec de ſacrificio crucis locutio triſtis, at neceſſaria ſequela eſt illorum, quae Bahrdtius cum Ario, Socino, Serveto aliisque aeterno ſilentio ſepeliendis docet de divinitate Chriſti. §. 32. Si enim Chriſtus in Athanaſii & Eccleſiae ſenſu Deus non eſt, ſed tantum in ſenſu illorum Haereticorum, quos ut abortivos fœtus repudiavit omnis retro ſancta & a S. Spiritu illuſtrata antiquitas; tunc enimvero actum eſt de divino crucis ſacrificio; ſique Chriſtus ut purus homo blaſpheme conſideretur, utique capi non poteſt, quomodo nos omnes per alienam unius hominis virtutem ſalvemur. At enim qui vel ſolum Paulum ad Hebraeos tum de vera Chriſti Divinitate, cum de divino crucis ſacrificio diſſerentem audit, ille ſtupeat neceſſe eſt ad effraenem Bahrdtii & Socinianorum audaciam. Ille Jeſus, cui dictum eſt: *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi.* Et: *Tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt coeli*: Ille Jeſus, de quo dicitur: *Adorent eum omnes Angeli Dei*; item: *Sede a dextris meis.* (o) Ille Jeſus, cui dictum eſt: *Juravit Dominus & non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum* (p) ille inquam *Jeſus propter paſſionem mortis gloria & honore coronatus eſt: Ut* *gratia*

(o) Hebr. c. 1.
(p) ibid. c. 7.

gratia Dei pro omnibus gustaret mortem (q) ille factus est in cruce *Pontifex magnus, qui penetravit coelos, Jesus filius Dei.* (r) Conticescat itaque Judaica omnis, Sociniana & Bahrdtiana perfidia! Jesus Christus filius Dei, verus Deus Jehova seipsum in cruce obtulit: Divinum ergo non tantum ex fine passionis, sed etiam ex ipso Christo patiente, fuit crucis sacrificium. Etiamsi enim Deus passus dici non possit cum Theopaschitis: ille tamen crucifixus & mortuus est, ille immolatus, qui vere consubstantialis Patri Deus & homo nobis per omnia similis absque peccato fuit.

§. XLIX.

Ita sane si ratiocinatus fuisset Semlerus, si ex Divinitate Christi Athanasiano sensu per ecclesiam constanter adserta ad Divinum pariter sacrificium conclusisset; se quidem invidia, nos vero labore liberasset. At enim cum illius responsio, quam hac super re dedit Bahrdtio, meris constet verborum satis obscurorum involucris: Cumque parum aut nihil hic a suo differat adversario; Mastygen profecto similem promeretur. — Equidem Paulinam ad Hebraeos adpellat Epistolam; & in hoc bene facit, recedens a Luthero, Chemnitio, Centuriatoribus Magdeburgicis, aliisque suis in Lutheranismo praecursoribus, qui uno ore Epistolam illam e Canone rejecerunt. Sed vero quam falso ex-

(q) ibid. c. 2. (r) ibid. c. 4.

explicat mentem Pauli? Si Semlerum audis, Christus in maximo perfectissimoque sensu Sacerdos fuit, qui per se ipsum Deo adtulit sacrificium; Catholice! sincere! Verum latet anguis in herba; improprie tantum Christus & Sacerdos dici potest & sacrificium, cum Deus reconciliaverit homines secum ipso, Christus autem libere passus declarator tantum ejus divinae voluntatis fuerit; § 44. Quasi vero idem non aeque per alium virum sanctum & purum hominem praestari potuerit? Eja quid diceres, si S. Petrum destinasset Deus ad id officii, si adnexuisset morti illius reconciliationem hominum, si efficaci illum gratia praevenisset, ut libere prorsus se traderet, essetne divinum illud Petri sacrificium? Neque ergo ex sola illa Christi oblatione, non ex solo fine, quem Christus habuit, non ex erectione novi foederis, quod in cruce tantum promulgavit, concludi ad divinum Christi sacrificium potest. — Verus Sacerdos, verumque sacrificium dici Christus debet, vere sanguinem suum fudit, vere se tradidit pro salute nostra Deus-homo. Haec genuina, haec ultimata ratio, quae divinum esse crucis sacrificium evincit — Detrahe quaeso larvam Semlere! fatere contra Bahrdtium simpliciter divinum crucis sacrificium; non sufficit adseruisse tantum, illud fuisse quam maxime spirituale, talesque protulisse effectus, qui ne per omnia quidem corporalia facrificia produci possunt; non sufficit admisisse humano illud sacrificio fuisse prae-

stan-

ſtantius; expreſſiones ejusmodi malitioſe tectam produnt mentem, niſi abſolute dicas verum Dei-Hominis ſacrificium in ſe ipſo per ctum. Mirum ſane! quod in tota ſua ad Bahrdtianum hunc articulum reſponſione ne ſemel quidem ſacrificium crucis divinum nominet Semlerus, ſed id tantum probare velit, non oportere mere humanum dici. Vulpina fraus haec eſſe videtur, quam detegit ipſus in Praeſat. zu ſeinem Verſuch einer freyern theologiſchen Lehrart; ubi ſic loquitur: „Ich habe „die Beyſpiele ſelbſt angeführt, Deum mortuum, „& ſepultum eſſe; dieß, ſage ich, iſt die Sprache „der Theologie; aber nicht Sprache der chriſtlichen „Religion.„ Hercule! ſi ſcholaſticae, adiaphorae, & indifferentes hae adſertiones ſunt, neque pertinentes ad chriſtianam religionem, fide divina illas non credit Semlerus. Non itaque credit, Chriſtum, qui pro nobis mortuus eſt, Deum eſſe. Quam belle ſic refutatur Bahrdtius!

§. L.

Scilicet capimus, quare nolit Semlerus ex perſona Chriſti patientis commonſtrare divinitatem ſacrificii, illumque verum ſimul ſacerdotem & victimam nuncupare. Non ſatis catholice de Chriſti Divinitate pronunciat, §. 37. quid mirum, ſi non audeat ſacrificium abſolute divinum edicere? Forte Verbum ſecunda in Deitate perſona non eſt; cum ergo Patrem fuiſſe incarnatum, adfirmare non poſſit, ſequitur, Chriſtum forte Deum non fuiſſe, & ſic Deum-

ho-

hominem in cruce se non obtulisse. — Ast timorem hunc Semleri pridem S. Paulus nedum inutilem, sed infidelem esse declaravit, ut §. 47. mox ostendi. Nam Christum vocat aperte fundatorem & conditorem caeli & terrae. Eumdem docet esse crucifixum, ac Pontificem per omnia tentatum absque peccato. Vocat verum Dei Filium, de quo dicitur: *Thronus tuus Deus in seculum seculi.* Denique sacerdotem in aeternum nominat secundum ordinem Melchisedech, illique adtribuit illud Psalmistae: *Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam*; in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi. (s) — Igitnr Christus verus Deus-Homo, verusque Sacerdos & Pontifex se victimam in cruce tradens, & oblationem cruentam sui corporis faciens, adeo non humanum, ut maxime verissimeque divinum monstravit fuisse crucis sacrificium. Ecce totum Redemptionis humanae Mysterium! sic *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (t), usus Ss Humanitate illius ut instrumento voluntario; & idem Deus erat verbum, quod caro factum fuerat: ideoque & sacrificium Christi Domini erat vere divinum.

§. LI.

Unus porro articulus Bahrdtii sextus huc spectat, quem breviter expediam. Inquit: „Fidem „in Jesum Christum pro Christianis conditionem ine-

(s) Hebr. c. 1. & 7. rursus c. 10. (t) 2. Cor. c. 5. v. 19.

„ inevitabilem ſalutis exiſtere, negari non poteſt.
„ Verum obligationem hanc ad alios etiam non
„ Chriſtianos extendi, inſipiens judico, inhumanum,
„ Scripturaeque contrarium. Rurſus; hanc
„ ipſam fidem in adprehenſione aliqua & adplicatione
„ meritorum Chriſti conſiſtere, eodem modo
„ falſum arbitror. In novo ſaltem Teſtamento adeo
„ parum de iſthoc fidei conceptu reperitur, ut aenigma
„ ſit mihi, qua ratione Doctores eccleſiae
„ permoti fuerint, ut ſic acciperent. Fides itaque
„ in Chriſtum aliud nihil eſt, quam acceptatio doctrinae
„ Jeſu & adimpletio, conjuncta firmae fiduciae
„ in promiſſiones futurae beatitudinis, a Chriſto
„ factas, ejusque morte obſignatas. „ Ubi duo praecipue tenet Bahrdtius, 1mo fidem in Jeſum Chriſtum non eſſe ad ſalutem neceſſariam iis, qui Chriſtiani non ſunt, ſed ſolum Chriſtianis; 2do fidem hanc non eſſe adprehenſionem aut adplicationem meritorum Chriſti, adeoque non tam actum intellectus; ſed voluntatis adimplentis doctrinam Jeſu, firmamque in promiſſiones futurae beatitudinis fiduciam habentis.

§. LII.

Et quidem ſi per primum aliud non velit, niſi quod aliqui adhuc ſatis catholice defendunt, fidem in Jeſum Chriſtum omnino explicitam non eſſe neceſſariam ad ſalutem; ſi inquam, ſolum hoc velit, per exorbitantes ſuas expreſſiones duntaxat peccavit, quas adhibuit, opinionem contrariam ut inſi-



insipientem, inhumanam & adversam Ss. Literis traducendo. At enim cum hunc articulum jam ante praecesserit alius, in quo Divinitatem Christi cum Socinianis contrectat; numquid jure arguitur Bahrdtius, velle necessitatem omnis fidei in Jesum etiam implicitae denegare: & illam quam Christianis ait necessariam, neutiquam reapse divinam esse oportere, sed solum relate ad subjectum & Christianos conceptus imaginariam? Atqui haec adsertio plane Sociniana, Theistica & gentilis. — Alteram vero ejusdem articuli partem quod adtinet, si plus non intendat, nisi solam de se fidem, qua qüis adprehendit, sibique adplicat Christi merita, non justificare aut sufficere; bene docet. Illam enim tanquam merum actum intellectus sine operibus mortuam esse, nedum omnes Catholici, sed moderni Protestantes doctiores turmatim defendunt. Atque hinc utique necessarium, amplecti etiam & sectari doctrinam Christi, ac tam perfecti Salvatoris nostri vestigia premere. Sed enim suspectum ipse se reddidit Bahrdtius adeo, ut cum negaret adplicationem Christi meritorum ad fidem pertinere, aperte convincatur innuere, salutem nostram neutiquam illi valoris infiniti sacrificio, sed impletioni duntaxat moralis doctrinae Christi, nostraeque in Dei promissiones de futura beatitudine fiduciae adscribendam esse; id quod Pelagianum, Arianum, ac Socinianum denuo consectarium est. Vide §. XXXII. & §. XLIII.

CA-





CAPUT III.

Erravit Bahrdtius ex defectu Timoris.

§. LIII.

Huc pertinent originale peccatum, aeternitas poenarum, ac Daemonum infestatio, circa quae corrupta est fides Bahrdtii. Sic autem habet Articulus illius primus: „ Profiteor, me omnes„ que homines esse peccatores gratia Deique mi„ sericordia indigos. Porro num innatum sit no„ bis, ut simus peccatores: numque cum incli„ natione ad malum omnes nascamur, dubito. Imo „ videntur mihi potius homines ipsi perditionis „ suae culpam habere. Tam multas enim in illis „ observo egregias ad virtutem dispositiones natura„ les, tam multos innatos stimulos & inclinationes, „ ut fortassis nonnisi meliore educationis methodo, „ & modo vivendi Tyrannidis ac luxus experte „ opus foret ad originariam bonitatem humanae „ naturae restituendam. „ — Ubi vides, bone Lector! Bahrdtium de existentia originalis peccati plane dubitare, & actuale duntaxat in hominibus agnoscere. Rationem hanc reddit, quod homines iis sint dispositionibus & inclinationibus naturaliter

 prae-

praediti, quarum ope, dummodo melior accedat educationis methodus, humanae naturae bonitas possit restitui.

§. LIV.

Ego quidem Ethnicae ejusmodi doctrinae virus omnibus adparere, facile perspicio, nec proin longiore illam censeo refutatione dignam. Si dubium est, an peccatum aliquod, pravaque ad malum inclinatio connata sint nobis: sique humanae naturae bonitas, quam propria amisimus & personali culpa, reparari de facili potest ope naturalium dispositionum, ac meliore educationis methodo; ergo dubium est saltem, an baptismus amplius ad salutem sit necessarius? Dubium, an parvuli sine baptismo denati, & culpâe propriae personalis naturaliter incapaces vita aeterna priventur? Dubium, an gentiles naturae viribus non idem omnino possint obtinere, quod Christiani viribus gratiae supernaturalis, & Ss. pignorum adminiculo? — Non ergo Pelagiani pro haereticis declarandi; iniqua fuit omnis ecclesiae, Conciliorum & Patrum condemnatio in Pelagium Britanniae colubrum & Viperinum illius germen contorta.

§. LV.

Quid quod ultra progredior. In mente Bahrdtii Baptismus aliud nihil nisi arbitraria quaedam ceremonia existet, tantum abest, ut Christianismi janua dici debeat. Certe enim quae in praesente

Arti-

Articulo dubitavit, paulo ſuperius adhuc ſe magis declaravit verſipellis, & ſerpentina Pelagii ſoboles. Pag. enim 15. Peccati originalis doctrinam illa inter dogmata numerat, quae partim pietati noceant, partim infidelitatis origo & contemptus religionis occaſio ſint. — Siccine deſtruitur fundamentum Chriſtianae fidei? Sic ſubvertitur primarium dogma bonis moribus inſtruendis aptiſſimum? Suſpicor Bahrdtium, ni ſuae cuticulae timeret, extiturum inter primos fore, qui cum Gentilibus deriderent Chriſtianorum baptiſma, hosque ſuperſtitionis arguerent, At enim, ut ne plura dicam, conticeſcat maledicum os hominis plusquam Sociniani. „ Pro peccato originis Eccleſia ab Apo-„ ſtolis traditionem ſuſcepit etiam parvulis baptiſ-„ mum dare. Sciebant enim, quia eſſent in omni-„ bus genuinae ſordes peccati, quae per aquam „ & Spiritum S. ablui deberent. „ ORIGENES (u).

§. LVI.

Et qui Bahrdtiano huic errori Semlerus reſiſtit? Contradictionem quidem ſuam adverſario oſtendit, qua jam de originali peccato dubitat, jam vero illud abſolute negat; praeterea retorquet in Bahrdtium, inquiens, praeter diſpoſitiones naturae bonas in hominibus etiam malas deprehendi, quae originale peccatum nuncupentur; denique aſſumit quaſi argumentum; originariam enim naturae

(u) L. 5. in c. 6. Rom.



rae bonitatem cum reſtitui poſſe adfirmet Bahrdtius, ſequitur manifeſte illam fuiſſe deperditam. — Haec enim vero omnia, quae Semlerus ex ratione reſpondet, omittamus. At cum illa ſtatim ab initio verba legiſſem, adtonita plane mens obſtupuit; ait nimirum Semlerus pag. 69. „ Es ſtehet „ ihm frey, daran zu zweifeln, ob uns dieſe mora„ liſche Negation (Erbſünde) und eine vorzügliche „ Leichtigkeit und Neigung zum Böſen angeboren „ heißen könne; wie es uns frey ſtehet zu bejahen. „ Bone Deus! jam iterum adpellatur libertas conſcientiae! Fas eſt privato cuidam homini & per baptiſmum eccleſiae januam ingreſſo dubitare, connatumne nobis peccatum, pravaque ad malum inclinatio ſit, poſtquam omnis retro antiquitas ab Apoſtolorum tempore clariſſime definivit, nos omnes in originali peccato tam naſci, quam concipi? Vah! ſi ergo Bahrdtius, ſi alii increduli Semlero oggerant: re maturius ponderata cognoſcimus, aliter ſe habere, quam eccleſia doceat? Si ſuis ideo parvulis clam verum baptiſma ſubtrahant? Horrenda conſecutio, at vix evitabilis! ſi enim liceat ſemel apud ſe dubitare, praeoccupata incredulorum judicia brevi rationes habere ſibi videbuntur, ut omnino negent, & ſic cum enormi ſalutis humanae diſpendio clanculum ſaltem in praxin deducant. Verum quid expectes aliud a viro Pelagii diſcipulo, qualis eſt Semlerus? Inquit iſte in Praefat. cit. „ Alle gelehrte Theologen wiſſen es, daß

dem

„ dem Pelagius unsere unpartheyische Hochachtung „ mehr gebühre, als den Afrikanischen Brüdern der „ lateinischen Unwissenheit. „ Hinc posteaquam diram adpellaverat, & ab Augustino inventam formulam, secundum quam peccatum originale ad infantes transit, atque embryones, Christianis sacrae Scripturae Lectoribus liberum relinquit de ea re sententiam ferre pro varia consuetudine interpretandi. Instit. ad doctrin. Christian. pag. 378.

§. LVII.

Aliud non minus practicum religionis principium tollere connititur Bahrdtius, ubi de aeternitate poenarum art 7. se ita exprimit: „ Credo, „ justos omnes a Deo summe beatos in altera vita „ esse reddendos; illum vero ad torquendos aeternum, ac diabolo tradendos malos eodem modo „ inclinari, non credo. Nam & ipse testatur: „ *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus aemulator;* „ *reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam* „ *& quartam generationem his, qui oderunt me. Et* „ *faciens misericordiam in multa millia diligentibus* „ *me, & custodientibus praecepta mea.* Deuter. 5. v. „ 9. & 10. Ex his concludo adversum eos, qui „ facere vellent Deum eodem modo vindictae cupidum, uti benignum: Sicut quatuor ad mille, „ ita se habet in Deo inclinatio puniendi ad inclinationem praemiandi.„ — Scilicet e Theistarum libris hanc suam ratiunculam Bahrdtius mutuave-

rit. Toussaint, aliique justitiam Dei pro adpetitu vindictae sumpserunt. Horum jam expressionem & ipse adhibet, quando Deum dicit ad puniendum inclinari. Itaque praeprimis rejicienda fuerat illa locutio, qua Deus habere vindictae cupidinem dicitur, cum Ente infinite perfecto neutiquam conjungibilem. Quaeso enim te, quis Catholicorum unquam adeo blasphemus fuit, ut sub justitia Dei vindictae adpetitum intelligeret?

§. LVIII.

Jam vero perfectissimae Dei justitiae congruere, ut malefactores ad finem perseverantes aeternum puniat, a posteriori cum primis tam aperte monstratur, ut Scripturae vim inferat maximam, qui aliter sentiat. (w) *Discedite maledicti in ignem aeternum;* & paulo post: (x) *ibunt hi in supplicium aeternum.* (y) Christus aeternas pœnas iis, qui scandalizant pusillos, tertium repetitis comminatur, scilicet mittendos in gehennam & in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur. (z) Graviter adfirmat Apostolus eos, qui non obediunt Evangelio Christi, poenas daturos aeternas in interitu a facie Domini. Similia habentur *Luc.* 22. 15. *Judae* 6. *Apocal.* 14. 10. — Textus hi horrendi sunt,

(w) Matth. 25. v. 41.
(x) ibid. v. 46.
(y) Marc. 9. a v. 41.
(z) II. Thessalon. 1. v. 8. & 9.

ſunt, ut contremiſcere deberemus; tam patethici, ut explanatione non egeant; tam credibiles, ut convincant, Et tamen Bahrdtius alium praefert Scripturae locum, ex quo, cum nil minus quam intentioni ſerviat, mechanicum aliquod argumentum inſtruit. In 5to Deuter cap. de hujus duntaxat vitae poenis. atque idololatriae peccato in filiis adhuc punito agitur; in noſtris vero textibus de poenis mortem & extremum judicium ſubſequentibus ſermo eſt; hic negativa expreſſio, *vermis non morietur*, *ignis non extinguetur*; item abſoluta paritas, qua & vita proborum aeterna, & ſupplicium improborum aeternum perinde dicuntur, litem adeo peremptorie terminant, ut prudenti cuilibet hanc Auguſtini vocem non extorquere non poſſint: „ Qualiscunque poena ſigni-„ ficata ſit nomine vermis atque ignis, certe ſi „ non morietur, neque extinguetur, fine fine prae-„ dicata eſt. „ (a)

§. LIX.

Ceſſet hinc omnis argutatio, quam cum Theiſtis format Bahrdtius. Scilicet infinite miſericors eſt Deus? Punit ut Pater, non vindicat ut Tyrannus? Miſericordia ſuperexaltat judicium? Hoc ad illam ſe habet, uti quatuor ad mille? — Quaeſo te, quisquis adſertor horum es dogmatum. quam tu tibi bonitatem Dei & miſericordiam fingis? Talemne quae caeca ſit, omnisque ſapientiae conſilio

(a) contra Priſcil.

destituta? Talem, quam habet simplex quidam & bonus in humanis judex? Talem, quae bonum commune majus non respicit, & exactam omnino providentiam sibi conjunctam non habet? Si ita misericordem tibi depingas Deum, magis tu Tyrannum facis, & Deitatem suam ipsi auffers. Percipias ergo, quid omnis tibi sana ratio dictitet. Talem habet bonitatem Deus, talem misericordiam, quae sine sapientiae directricis consilio non est; sed sapientiae divinae consilium est, aeternas pro peccatoribus ad finem perseverantibus poenas statuere: Nam quod actu statuit Deus, §. 57. sapientissime prorsus statuit. Ergo aeternas decernere poenas tam opus dici bonitatis & misericordiae potest, quam opus justitiae Dei ac sapientiae. Hoc sane ratiocinium vel historica solum Evangelii fide supposita tam certum est, ut Ethnicum convincere debeat; quanto magis Bahrdtium, qui revelationem se admittere profitetur, rapere ad adsensum debuisset?

§. LX.

Pondus addat discursus S. Hieronymi, quo pridem Origenistas impugnavit, incredulorum hac in parte praecentores: „ Scimus quidem clementem esse Deum; nec qui peccatores sumus, crudelitate illius delectamur; sed legimus: Misericors & justus Dominus: & Deus noster miseretur. Justitia Dei vallatur misericordia, & tali ad judicium ambitione procedit: Sic parcit, ut

judi-

„ judicet, ſic judicat, ut miſereatur. Miſericor-
„ dia & Veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax
„ oſculatae ſunt ſe. Alioquin ſi omnes rationabiles
„ Creaturae aequales ſunt, & vel ex virtutibus,
„ vel ex vitiis, ſponte propria aut ſurſum erigun-
„ tur, aut in ima merguntur; & longo poſt cir-
„ cuitu, atque infinitis ſeculis, omnium rerum
„ reſtitutio fiet, & una dignitas militantium: quae
„ differentia erit inter Matrem Domini & (quod
„ dictu quoque ſcelus eſt) victimas libidinum pub-
„ licarum? Idemne erit Gabriel & diabolus? ii-
„ dem Prophetae & Pſeudoprophetae? iidem A-
„ poſtoli & daemones? iidem Martyres & Perſe-
„ cutores? Finge quod libet; & tempora duplica,
„ & infinitas aetates congere cruciatibus: Si fi-
„ nis omnium ſimilis eſt, praeteritum omne pro
„ nihilo eſt; quia non quaerimus, quid aliquando
„ fuerimus, ſed quid ſemper futuri ſimus. „ (b)

§. LXI.

Semlerus circa hunc Bahrdtii articulum fere nihil praeſtitit, quam quod authoritate Joannis Calvini oſtenderet adlatum Deuteronomii textum adeo non obſtare, ut magis ex illo alterius vitae poenarum acerbitas comprobetur. Ipſam vero aeternam durationem ne is quidem vel uno confirmat argumento — Quam melius feciſſet Semlerus, ſi pro Calvino citaſſet judicantis eccleſiae authoritatem?

(b) Comment. in Jonam c. 4.

tem? Si unus e Romano-Catholicis erraſſe comperiatur, ſcuto illo irrefragabili ad rectum continuo tramitem reduci poteſt. At cum Bahrdtius ex reliquorum more Proteſtantium infallibilem omnem humanam authoritatem pertinaciter temnat: Quid juvat, ſi centum illi Calvinos, Lutheros centum objicias, quos non majore prae ſe Spiritu in Ss. Literis exponendis agnoſcit? — Juvet hic denuo fraterne compellare D.D. Proteſtantes. Nolite quaeſo errare fratres! obponite Bahrdtio, circa practicum hunc de aeternitate poenarum articulum in bonos mores nonniſi maxime influentem, obponite textus Scripturae innumeros, confeſſionum formulas, Concordiae libros; ni prius Eccleſiae veſtrae ſtatuatis authoritatem infallibilem, veſtra vobis argumenta poene cum riſu remittet, nil ſibi & aliis de poenarum aeternitate metuens.

§. LXII.

Unus demum articulus ſupereſt, quem ponit Bahrdtius de infeſtatione daemonum. Sic habet: „ Angelos dari ac daemones poterit eſſe verum; „ hos autem tales eſſe, quales vult eccleſiae ſyſtema, ita ut vere obſideant homines, ſe tanquam „ ſpectra exhibeant, in animas hominum operentur, malasque poſſint producere cogitationes & „ propoſita, nullum unquam, cui crederem, ſufficiens fundamentum reperii. „ — Hac in profeſſione Semlerus, ut conſtat, mutuas jungit manus. Notus eſt Daemonologiae Biblicae liber, quem

quem ab alio conſcriptum ille tam praefatione, quam adpendice auxit; nota commentatio de Daemoniacis, quam adornavit; nota altercatio, quam de hac re vel cum ſuis etiam collegis Proteſtantibus habuit. Praeterea in hoc adhuc deterior Bahrdtio eſt, quod impotentis animi vir Ss. omnibus inſultat Patribus, quos arbitrariae ſuae opinationi ſentit adverſos. Dedi meis in Theologia auditoribus labente iſthoc anno refutationem Semleri integram; unde ne lucubrationis moles excreſcat, nolim hic fuſe alibi dicta congerere. Unum tacere non poſſum, cui ſi ſapiant, adquieſcere Bahrdtius & Semlerus deberent.

§. LXIII.

Scilicet, ut nervoſe argumentatur Canus, (c) qui Sanctos veteres in univerſum omnes in S.Scripturae unoquolibet loco exponendo erraſſe adfirmat, eum catholicae eccleſiae hunc ipſum errorem adtribuere, certum eſt. Nam ubicunque eſt eccleſiae corpus, ibi etiam eſt Spiritus veritatis; Spiritus autem in corpore non eaſdem omnibus corporeis partibus tribuit functiones, quemadmodum Apoſtolus (d) elegantiſſime perſequitur: *Alii* namque *datur per Spiritum ſermo ſapientiae, alii prophetia, alii interpretatio ſermonum.* Nec enim in eccleſia omnes Apoſtoli, nec omnes Prophetae, nec omnes interpretantur. Certum eſt autem, quod Ss.

(c) de loc. Theolog. l. 7. c. 3. Concl. 5.
(d) I. Cor. 12.



Ss. Literarum intelligentia Ss. Doctoribus, si quibus, maxime per Spiritum data est. Qui ergo Spiritum veritatis Sanctis omnibus in Scripturae S. interpretatione negat, hic sine dubio eumdem Spiritùm ecclesiae tollit; quemadmodum qui ab oculis videndi munus aufert, hic reliquas etiam omnes corporis partes obscurat; nam si oculus non fuerit lucidus, *totum corpus tenebrosum erit* (e). Huc quadrat illud: (f) *Non te praetereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Unde Petrus Abailardus, quem defendit Semlerus (g), justissime corripitur a S. Bernardo: (h) „Ecclesiasticorum dogmatum unam omnium de hac re Petrus Abailardus dicit „esse sententiam, & ipsam ponit ac spernit, & „gloriatur se habere meliorem, non veritus contra praeceptum sapientis transgredi terminos „antiquos, quos posuerunt patres nostri.„

§. LXIV.

Atqui de infestatione Daemonum „hoc probavimus Catholicorum authoritate Sanctorum (qui „rem in Scripturis clare definitam omnes agnoscunt) ac per hoc non est consequens, ut falsum „sit. Tales quippe ac tanti viri secundum catholicam fidem hoc verum esse confirmant, ut vestra „fragilis & argutula novitas sola authoritate contera-

(e) Luc. 11. v. 34. (f) Eccli. 8. (g) Dissertat. de Daemoniac. §. 8. in not. (h) epist. ad Innocent. n. 190.

„teratur illorum. Praeterquam quod ea dicunt, „ ut se per eos loqui veritas ipsa testetur. „ AUGUST. (i) — Neque audiendus est Semlerus, quando Patres veteres Platonicae scholae placitis hac in materia imbutos fuisse carpit. Os enim illi denuo magnus Hipponensium Praesul obstruat loc. cit. paulo inferius addens: „ Sanctos & in sancta eccle-„ sia illustres Antistites Dei, non Platonicis, & „ Aristotelicis & Zenonicis (quamquam & in his „ nonnulli ex eis docti fuere) verum omnes sacris „ literis eruditos nominatim sicut oportebat, ex-„ pressi, ut in eis timeas non ipsos, sed illum, qui „ sibi eos utilia vasa formavit. „

§. LXV.

Neque insuperabilis haec Patrum authoritas Semlerum latuit; unde fatetur ipse: (k) „ Falso „ dicitur, fidem fuisse ecclesiae omnis christianae „ communem. Romanae semper fuit, fateor; sed „ ejus magisterium parum placuerit, adeo diabolo-„ rum negotio abuti solebant. „ — Unum hic bonum verbum Semlere! a primo seculo usque ad BERNARDUM communi calculo Patres omnes nostrae subscripsere doctrinae; Ignatius, Athenagoras, Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Leo, Hieronymus, Augustinus, Athanasius, Gregorius, & centum alii. Atqui ut ais, Romanae tantum ecclesiae hic sensus fuit: „ Romanae sensus semper fuit, fateor. „ Ergo Pa-

tres

(i) L. 2. adv. Julian. (k) Loc. cit. §. 14.


tres illi ad Romanam ſpectabant eccleſiam. Sed Patres illi viri erant Apoſtolici. Ergo Romana eccleſia Apoſtolicis conſtat viris, eritque & ipſa Apoſtolica. Ohe mi bone! in quam te hic intruſiſti charybdim? — Scilicet hoc adhuc deerat impietati, ut ſanctiſſimos eccleſiae Patres Lutheri more Semlerus traduceret? Si ipſum audias introd. ad Theol. chriſtian. pag. 19. „ in ſacrarum ſabularum „ & nugarum quaſi officio diligentiſſimi fuere. „ — „ Tertullian war ein Fanatiker. Von Cyprianus „ kann ich nicht beſſer urtheilen. Gregorius Ma„ gnus iſt ein geringer Lehrer. Justini Unwahrheiten, Phantaſeyen und Wäſchereyen. Irenäi elende „ Schriften. Epiphanius war gerade ſo ein Schmie„ rer. Sie alle würden vielmehr gern bey uns in „ die Schule gehen. „ Ita Semlerus in ſeiner ausführlichen Erklärung über einige neue theologiſche Aufgaben, Cenſuren und Klagen. Halle im Mayd. 1777.

§. LXVI.

Ceſſent igitur Semlerus & Bahrdtius catholicam de vera daemonum infeſtatione doctrinam impugnare. Agnoſcant potius moralem illius nexum cum notitia myſteriorum & miraculorum religionis noſtrae. Si enim licet textus Scripturae de infeſtatione daemonum in ſenſum minime pronum & inauditum detorquere, fas etiam ſibi judicabunt increduli, eos, qui agunt de myſterio Ss Trinitatis, de Chriſti & Spiritus S. Divinitate, de peccato origina-

ginali, de vigilantia chriſtiana, de paenarum aeternitate, improprio aliove longe ſenſu accipere, quam ab eccleſia ſumantur. Atqui ſic Pyrrhoniſmus inducitur, & effraenis in ſententiis licentia; ſinguli pro arbitrio ſuo explicandum Scripturae ſenſum ad ſua praejudicia ſuſcipient: & auguſtiſſima religionis noſtrae myſteria novis hisce excogitatis interpretamentis in claſſem rerum maxime communium & pedeſtrium redigentur. Certe Arianus textum illum: *Ego & Pater unum ſumus*, tantum adſumet de unione voluntatis. Macedonianus πνευμα ἅγιον ſeu Spiritum ſanctum interpretabitur tantum pro gratia Dei ſeu ſanctitate. Origeniſta ignem aeternum pro tempore ſimpliciter longo ſumet. Et ſic de aliis.

§. LXVII.

Sed & miraculorum doctrina patitur; ſi namque ad tantam verborum lucem integrum eſt cuicunque ſuſpicari, nihil hic ſive de malo ſpiritu, ſive de energumenis agi, ſed rem eſſe tantum de morbo, & tetro melancholiae humore; liceret pariter aſſertiſſima etiam prodigia tuto in rerum naturalium cenſum redigere, uti transfretationem maris Idumaei, ſolis ſtationem ad nutum Joſue, Lazari reſurrectionem. Pro eo namque quod Hebraei transfretaſſe credantur, alveum tantum illius in aeſtu maris arentem ſubiiſſe poſſent intelligi. Reputandum eſſet pariter, non ſtetiſſe quidem reipſa ſolem, ſed id praeſtitiſſe Deum, ut Joſue maturi-

us


us rem totam absolveret, antequam noctis tenebrae superincumberent. Lazarum non quatuor inde diebus interiisse, sed credulis spectatoribus imposuisse symptoma quoddam apoplexiae, subito incidens languenti. — Sane siquis de puella Marc. 5. suscitata vel de filio Naim Luc. 7. dicat, illos non revera mortuos, sed tantum pro mortuis fuisse habitos? — Jam autem, *puella surge; adolescens tibi dico, surge;* in quo differunt locutiones istae ab aliis: *Exi spiritus immunde ab homine isto; obmutesce, & exi ab eo?* — Cedamus quaeso veritati. Textus hos omnes ad improprium & inauditum detorquere sensum, nunquam fieret sine offendiculo, nunquam sine ecclesiae discrimine, quae detractis armis & argumentis nuda exponeretur suorum hostium telis.



CAPUT IV.

Erravit Bahrdtius ex defectu Simplicitatis.

§. LXVIII.

Ubi deficit simplicitas ac docilitas, deest quoque fides. Nam graphice prorsus inquit Apostolus: *Haec doce & exhortare. Siquis aliter docet,*

tit, & non adquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum (l). — Lugubre Paulini ejus vaticinii exemplum nobis in se Bahrdtius exhibet, ausim cum veritate dicere, ab evangelica simplicitate quam maxime alienus. Ostendunt id ipsum ea, quae professioni suae ad Caesarem datae praemisit, perniciosa principia, quae jam persequar, & ad octo reducam. Cuilibet ex his Semleri responsionem subtexam, ut pateat, & hunc Protestantem vix hilo meliorem esse, & quae miser Bahrdtius posuit, meras esse & originarias maculas a Luthero parente suo per necessarium seu doctrinae, seu factorum nexum ad ipsum traductas.

§. LXIX.

Itaque principium illius primum pag. 9. hoc est: „Fateor, ex aliquo jam tempore me fuisse „convictum, quod ecclesiae nostrae protestanticae „systema complectatur dogmata, neque in Scriptu„ris fundata, neque in ratione. Et quae partim „pietati noceant, partim incredulitatis origo, & „contemtae religionis causa apud millenos sint.„ Ita Bahrdtius. — „Concedo totum; quid sequi„tur? . . . . Christiano cuilibet fas est, quin &

G obli-

(l) 1. Timoth. 6.



„ obligatio, ut fiquidem capax inveniatur, adcu-
„ rate difquirat fic dicta doctrinae fyftemata, quan-
„ tum valet, ita ut fuos etiam proprios conceptus
„ ad fuam aedificationem & tranquillitatem prae-
„ ferre poffit. Id quidem fuae confcientiae libertas
„ exigit. Imo jus habet, fuam, quam hactenus
„ tenuit, religionem penitus deferendi, aliamque
„ dummodo toleratam amplectendi. Quodfi vero
„ fui animi fenfa fcriptis etiam divulgare, atque
„ aliis, ut legant, obtrudere velit; non jam hoc
„ ipfi liberum factu eft, fed altiori Superiorum de
„ fcriptis arbitrantium judicio fubftat. Itaque li-
„ cuit quidem authori, ut fua imprimi fcripta cu-
„ raret, modo Caefarem, & alia fuprema capita
„ pro fervanda religionis pace ac fyftemate conftitu-
„ ta non adpellaffet. „ Ita Semlerus pag. 12. & feqq.

§. LXX.

Rides amice lector! nec fruftra; vides enim, ut mulus mulum fcabat. Semlerus concedit totum; modo Bahrdtius fcripta fua non cum tantis in religionem maxime proteftanticam contumeliis, & rara adeo Caefaris ac Imperantium compellatione evulgari feciffet. Miferam fortem! placet Semlero venenum; folum non placet involucrum. Idem in cute Bahrdtius: Theifta externe politicus. Non jam de hoc agitur mei Domini! quidnam externus mere decor exigat. Quaenam cuilibet coram Deo fuo lex fcripta, id enimvero eft, quod expediri debuit. — Etenim cum inter nociva illa

dogma-

dogmata Bahrdtius numeret originale peccatum, ejusque imputationem: necessitatem satisfaciendi: peccatoris justificationem: Divinitatem Christi & Spiritus sancti Athanasiano sensu acceptam: inferni pœnarum aeternitatem, & similia; cumque de his quilibet, non tantum Semlero teste, sed aliis quoque Doctorum evangelicorum id perhibentibus, sentire possit, prout se convictum credet; ideo vos, obtestor D. D. Protestantes, & adjuro quasi per sanguinem Jesu Christi, ubinam est ecclesiae vestrae unitas? Non enim quod identidem ingero, non tantum sufficit externe profiteri, si liberum est interne discredere. Ut quid ergo rogaverit Christus: (m) *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Quid mirum, si Bahrdtius ex licentia suae religionis, quid libet, etiam in dogmatibus sentiendi ad fatalem illum passum perductus est?

§. LXXI.

Jam ad alterum ipsius principium ex priori consectarium veniamus. Inquit pag. 10. „Prout „expectari debuit a Doctore Confessionis Augu„stanae, contra mox relata dogmata neque in con„cionibus, neque in catechesibus coram populo „directe unquam tractavi, sed de illis vel tacui „omnino, vel ita locutus fui, ut separaverim,

 quod

(m) Joann. 17.


„ quod nocivum ferebant secum, vel quod errone-„ um, temperaverim. Ideoque ab obligationibus „ Doctori Protestantico propriis recessi nunquam. „ Bahrdtius. — At reponit alter: „ Ille ut Doctor „ Confessionis Augustanae, ut oportuit, revera non „ docuit. Lutherani Theologiae Doctores omnes „ summam illorum dogmatum doctorali suo jura-„ mento habent comprehensam. Societati suae fi-„ delis Doctor rem ipsam & conceptum retinet; ver-„ ba autem, personae, Trinitatis, homousios, „peccati originalis &c. recepto usui sacrificat. Illud „ jam pridem compertum est nedum inter fideles „ Lutheranos, sed multos etiam Doctores Romano-„ Catholicos ab Erasmi tempore, qui secretionem „ Theologicarum positionum concessere. Imo Con-„ cilium aulicum Imperii Caesareum expresse san-„ civit, Doctorem quemlibet adstrictum esse tam-„ diu symbolicis ecclesiae suae libris, quamdiu illo „ munere publice fungitur. „ Semlerus pag. 28. & seqq.

§. LXXII.

Serione, an joco? rem ipsam & conceptum ab ecclesia sua diversum intra se convictus quilibet retinere potest, docere autem debet praescripta a libris symbolicis methodo; Ergo unum e duobus concedendum erit; vel mentiri seu contra mentem loqui licet Doctori Protestantico: vel talis quamquam alias peritissimus, doctissimusque deponere debebit munus. Alterum omnino intendit Caesa-

reum

reum Imperii concilium, cujus pro externa duntaxat unione folicitum esse, & ad vitanda mala maiora politicis concordatis stare*, partes sunt. Illud vero prius Semlerus admittit, & concedere cum ipso tenentur Protestantes omnes doctiores, qui ne dimittere suum cogant officium, externe docent aliter, quam interne sentiant. Juramentum a se super symbolicis emissum libris praetexunt, neque capiunt, illud esse vinculum iniquitatis non posse, mendaciumque in religionis materia dari gravissimum. Vae multis! nisi misero isthoc & diabolico uterentur stratagemate; a publicis Luthericae ecclesiae suae Cathedris remoti jam pridem fuissent, & maxime Semlerus, si quod sentiunt, audacter edicerent.

§. LXXIII.

Quamquam & ipsum hoc Semlerus probat, Doctorem videlicet Evangelicum adstrictum esse libris symbolicis, & Augustanae Confessioni, ita quidem, ut retinere munus non queat, si docere contra velit; esset enim hoc servire turpis lucri gratia. Sed nec tum quidem illud obire munus poterit, si agere praecise simulatorem cupiat, aliter docendo, quam interne sentiat. Audias illum pag. 110. sic perorantem: „ Cajus perlubenter habere sustentationem vellet. Proinde vocationem Magistratus „ accipit, societati, quam sectatur, promittens, „ juxta praescriptam ab illa doctrinam velle se gerere. At nunc pro se retinet reservationem men-

„ talem, quam ipsi adeo Jansenistae in politicis il-
„ lis horrebant Jesuitis. Dicit itaque intra se:
„ Protestanticus ego sum, authoritate humana nul-
„ la quoad meam fidem adstrictus.— Ecquis corda-
„ tus inter nos modum hunc procedendi adproba-
„ bit? Cajus retinere utique munus suum nequit,
„ als ein ehrlicher teutscher Biedermann, geschweige
„ als ein Christ, der so ein zartes Gewissen haben
„ will. „ — Jam quaeso judicet orbis, in Semlero quid distent aera lupinis? Libertatem conscientiae passim jactat; tuetur cum Lockio, & aliis modernis Protestantibus, nulla societatis lege mere humana quemlibet pro interno foro adstringi. Neque igitur in dato casu Cajus ligabitur? Porro si non ligetur, quid obstat, quo minus apud se tueri contrarium queat? Quid obstat, quo minus tamen suo defungi officio pergat? scilicet mendacium: mentalis reservatio? Atqui ut ipse Semlerus pag. 28. agnovit, ab Erasmi tempore licet secretionem verborum facere, ac terminorum; licet receptas in quadam societate expressiones dogmatum, citra sui jacturam muneris, in publicis proferre instructionibus, tametsi quis apud se illas nec teneat, nec probet. Eccur itaque non liceat alicui docere quaedam dogmata societati propria, quamvis de illorum falsitate apud se convictus quis sit: & sic retinere munus, quod semel adeptus est? Vellem ut hunc nodum Semlerus mihi solvat. Restrictio mentalis utrinque est eadem. Mentitur unus in dogmate: alter in dog-

matis

matis expressione. Porro tam dogma, quam illius expressio doctrinae societatis convenit. Aut igitur privandus officio Cajus (id est Bahrdtius) non est: aut Semlerus pariter cum illo, simul & omnes Doctores Protestantici, qui libertatem conscientiae tantopere jactitant, & nihil ad se adtinere volunt de sacratis illis verborum expressionibus, quas pridem adhiberi etiam illa decrevit ecclesia, cujus ministri sunt — Demum & proprio isthoc jaculo semetipsumSemlerus perimit: „teneat apud seBahrdtius, quod videtur; sed non doceat.„ Ad quod ego: Teneat Semlerus apud se, quod velit, & Libertinus pro se sit; sed perversa sua principia in vulgus non spargat, ne sic cum ipso & alii damnentur. Sic saltem insistet Lutheranismi principiis, quae infidelitati internae praebent impunitatem fictitiam coram Altissimo: urgent externam mere tranquillitatem coram hominibus. Pax, pax; & non est pax, quia non credunt se obligari pro conscientia ad credendum dogmatibus, quae sua defendit ecclesia.

§. LXXIV.

Principium Bahrdtii tertium denuo ex praeteritis fluit. Pergit enim pag. 10. „ Convictus „ plane sum, controversa religionis puncta ad in- „ structionem populi nullatenus pertinere: ideoque „ ab illis nihilo secius obiri ecclesiasticum docendi „ munus posse, qui in suis persuasionibus a syste- „ matica religione quamvis recedant, ex converso



„ tamen eo ferventius purae Christi religioni ad-
„ haerescunt, & cum fundamento ipsam sciunt pro-
„ ponere. „ Bahrdtius. — „ Equidem libertas
„ conscientiae, veluti jus unius cujuslibet subditi,
„ proprie ad ipsum pertinet, tanquam ad personam
„ individuam & privatam, idque relate ad Deum.
„ Contra tanquam Doctor in publico constitutus
„ officio, publicaeque adstrictus societati doctrinam
„ Augustanae Confessionis proponat, oportet.
„ Hoc enim ab ipso societas exigit, ad hoc se ju-
„ ramento faciendum ligavit. Non ergo sincere,
„ non fideliter agit, qui animi sui sensa societatis
„ menti contraria novo quodam libro seu scripto
„ doctrinali complectitur, illumque societati pro-
„ ponit. „ Semlerus pag. 33.

§. LXXV.

Verum arundineum esse istum Semleri baculum, tametsi reliquis etiam Protestantibus communis sit, isthoc facile ad hominem argumento conficitur. Juramentum etiam in favorem humanae tranquillitatis factum non acceptat Deus cum suae gloriae detrimento, & veritatis praejudicio; ergo si falsum deprehendat, super quo juravit, suo est solutus juramento. Atqui Doctor quilibet Protestanticus, jus habet in ecclesiae suae doctrinam inquirere, eamque apud se, si de contrario convictus fuerit, rejicere ut falsam; ergo solvere seipsum juramento potest, imo debet, quia bono societatis praeponderat veritas religionis, quam suus ipsi spiritus

ritus

ritus dictat. Minorem nega propositionem si possis, aut concede totum. At enim illam nec Semlerus, nec alii inficiantur Protestantes, duce Luthero parente suo, qui (n) super illud Christi: *Attendite a falsis Prophetis*; ita se exprimit: „ Hoc „ Evangelium, quod agit de falsis Prophetis, evertit funditus & radicitus papatum, & omnia concilia, quare non tenemur servare, quod papa praecipit & homines constituunt. Ideo adhuc semel dico: Capite hoc Evangelium, quia neque papae, neque conciliis, neque ulli hominum commissum est. ut constituat & concludat, quid sit fides; ideo debeo dicere; papa tu conclusisti cum conciliis, nunc habeo ego judicium, an acceptare queam nec ne. — — Falsam doctrinam nemo judicare potest, nisi spiritualis homo. „ — Hercule! quis e Protestantibus vitio jam vertet Bahrdtio, si tamquam Doctor sicut Lutherus, eamdem cum isto cantilenam adhibeat contra fabricatores Confessionis Augustanae, quam ille tenebrio contra verae ecclesiae Concilia & Episcopos?

§. LXXVI.

Itaque manet: Bahrdtius aliter convictus solvitur juramento, ita ut queat teste ipso Semlero vel ad Romanam digredi Ecclesiam, vel ad Calvinisticam. Ponamus jam ad Romano-Catholicam

(n) Serm. 11. super illud Christi: Adtendite a falsis Prophetis.

ſe convertiſſe Bahrdtium , numquid ſine laeſione ulla juramenti poterit contraria Proteſtantibus ſcripta proponere, eaque in lucem edere? Nil ergo vetat, quo minus id poſſit tanquam Doctor adhuc Luthericus etiam contra Confeſſionem Auguſtanam. Vellem hic monere Lectorem, ut praefixi a me textus ex Tertulliano recordetur: Licuit Marcioni, Luthero; quidni etiam Marcionitae & Lutherano? Lutherus membrum Eccleſiae Romanae fuit, & tamen ſi Proteſtantes audias, impune doctrinam illius correxit; quare idem nequeat Bahtdtius in eccleſia ſua Lutherica? Cum & ipſe Doctor ſit, uti Lutherus fuit. Aut ſolvant mihi tandem iſthoc dilem̃a D. D. Proteſtantes; an juramentum, quod ſuper libro concordiae, aut Confeſſione Auguſtana publice docenda deponunt Praedicantes, eſt abſolutum ad dies vitae, vel eſt hypotheticum usque ad caſum mutandae ſors religionis? Si primum; ergo vel fas amplius nulli eſt ad aliam ſe convertere religionem: vel ludicrum eſt juramentum. Sin alterum; ergo dum convictus quispiam eſt, religionem ſuam aliquod docere falſum, adeo non ſtringitur juramento, ut tanquam paſtor prudens cavere oves ſuas a malo pabulo debeat.

§. LXXVII.

Abſit equidem, ut iſta ſcribens ego Bahrdtii advocatus credar. E Proteſtantiſmi tantum principiis confundi ipſum non poſſe, adfirmo. Centies illi Semlerus oggerat, religionis puncta quae impug-

pug-

pugnat, non esse controversa, sed talia, de quibus plene inter tres Religiones toleratas pridem conveniat, pag. 31. Bahrdtius cum omni semper fundamento reponet: quid ad me Concilia, quid Augustana Confessio, quam docere publice etiam in iis, quae falsa continet, nec juravi unquam, nec jurare potui. Imo cum ut Doctor Protestanticus jus habeam inquirendi veritatem, & ubi hanc privato meo spiritu invenero, contrarium docere sine cordis duplicitate nequeam; inique nonnisi adcusor a meis Confratribus, & ab ipsis meo privor officio. Provoco ad Ecclesiae meae Doctores innumeros, qui idem fecere jam ante me, nec tamen reputati sunt quasi Schismatici Ecclesiae Protestanticae. Aliquorum exempla proferam: uti von Hrn. Abt Jerusalem; von Hrn. Consistorial-Rath Steinbart; von Hrn. Oberconsistorialrath Büsching; von Hrn. Senior Urlsperger in Augsburg; von Hrn. Oberconsistorialrath und Probst Teller in Berlin; von Hrn. Doktor Semler. — Und wie viele rechtschaffene Lehrer der Kirche ließen sich anführen, welche, wie ich, über Gewissenszwang geklagt, die symbolischen Bücher dem Gewissen für lästig gehalten, und eine ausgebreitetere Toleranz gewünscht haben? Ist aber je ein einziger darüber, wie ich, für einen Abtrünnigen angesehen worden?" Ita Bahrdtius, & quidem cum omni fundamento provocat. (o) Et quid quaeso, solide respondebunt

D D

(o) Erklärung an das Publikum Anno 1780.

D. D. Proteſtantes, quando ſuis adhuc armis confidunt, neque a Catholicorum illa Scrinio mutuant?

§. LXXVIII.

Tollant itaque nobiscum, tollant praecipuum, cui hactenus innitebantur cuneum; adimant jus privatis in rebus fidei ſeu dogmatis judicandi; admittant vero authoritatem humanam infallibllem, cui contraire nefas ſit. Sic enimvero negabunt radicitus ſuum Bahrdtio ſuppoſitum, religionis illa puncta adhuc eſſe controverſa. Sic erunt haec infallibiliter revelata, & nonniſi cum aperta in fide haereſi impugnanda. Sic Bahrdtio larvam detrahent, ut totus denique Socinianus, totus in cute Theiſta adpareat. — Quamdiu vero ita non tendunt D D. Proteſtantes; quamdiu illud Hieronymi (p) in illorum congregatione impletur: „ Hanc „ nempe ſcripturam, garrula anus, hanc delirus „ ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi „ praeſumunt, lacerant. docent, antequam diſcant;„ quamdiu loquentem & a Spiritu S. directam non audiunt eccleſiam; tamdiu millenos & millenos inter ſe Bahrdtios, Semleros, & Hunnios numerabunt, illudque S. Irenaei ipſos conſtringet: (q) „ Alienati a veritate digne in omni volutantur er„ rore, fluctuati ab eo aliter atque aliter per „ tempora de eisdem ſentientes, & nunquam ſcientiam

(p) Epiſt. ad Paulam 50. alias 103.

(q) L. 3. adv. haereſ. c. 40.

tiam ſtabilem habentes. „ — Hoc proinde ſcutum prope unicum eſt pro unitate ſervanda, quod Proteſtantibus porrigit Vincentius Lirinenſis in commonitorio: „ Quia Scripturam ſacram prae ipſa „ ſui altitudine non uno eodemque ſenſu omnes ac- „ cipiunt, ſed eadem eloquia aliter atque aliter ali- „ us atque alius interpretatur, ut pene quot ho- „ mines ſunt, tot illic ſententiae erui poſſe videan- „ tur. Idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos „ tam varii erroris anfractus, ut propheticae & „ apoſtolicae interpretationis linea ſecundum eccle- „ ſiaſtici ſenſus normam dirigatur.„

§. LXXIX.

Porro ad quartum Bahrdtii principium pergamus, ex anterioribus rurſus conſectarium. Inquit pag. 12. „ Illa eccleſiae meae proteſtanticae „ dogmata (§. 69. indicata) ſanam turbant ratio- „ nem, & parum adeo demonſtrationis pro ſe ha- „ bent, ut mirum haud ſit, ſi nullo non tempore „ pars hominum proprio illa judicio rimari, pro- „ bareque valens ſcandaloſa repererit: & ſi pleri- „ que illorum cauſa dogmatum, quae ſua profeſſi- „ one ſuperbiens nimium clerus tanquam unice ſal- „ vificas fidei veritates obtrudere mundo voluit, „ totam denique repudiarint religionem. Bahrdtius. — Reponit Semlerus pag. 39. „ Tam multi „ Doctores & Chriſtiani dicere non poſſunt, illa „ eccleſiae dogmata ſanam rationem turbare, aut „ deeſſe fundamenta, queis illa probentur. Quin

imo



„ imo contrarium dicimus, & vi confeſſionis Au-„ guſtanae docemus publice. Eſt igitur fruſtranea „ prorſus adverſarii arrogantia, qua privatam ſuam „ perſuaſionem magis quam aliorum vult eſſe fun-„ datam. Dein ideas illas doctorum virorum do-„ gmaticas de originali peccato, juſtificatione & „ ſatisfactione quaſi veritates fidei unice ſalvificas „ hactenus obtruſit nemo; gratis itaque dicit „ Bahrdtius, pleroſque totam ideo repudiaſſe reli-„ gionem. Tandem clerum maxime proteſtanti-„ cum ſuae poſſeſſioni non adeo fuiſſe confiſum, vel „ exinde patet, quod ipſi quidam Doctores Roma-„ nenſes illum de aliquorum novitate dogmatum „ incuſaverint. pag. 41. Liberum eſt cuilibet rem „ tenere, & quae ſcandalum pariunt, rei deſcri-„ ptiones abjicere. „ Semlerus.

§. LXXX.

Ego vero in perſona Bahrdtii D. Semlero, ceteriſque Proteſtantibus ſic obvio. Martinus Lutherus parens noſter non erat arrogans, quando ſua in religione ſenſa omnium paſſim tum temporis Epiſcoporum & Conciliorum decretis praetulit; ecquis igitur injuriae mihi ducat, ſi meam ego doctrinam praehabeam aliorum ſenſui, qui confeſſioni adhaerent Auguſtanae? Nil mihi aliud, praeterquam protectores deſunt, quos Lutherus habuit; da mihi Saxoniae Ducem, da Landgravium Haſſiae, da reliquos, & videbis, num arrogantia mea fruſtranea ſit? Dura plane retorſio! — Rurſum;

ſi

si Idearum illarum dogmaticarum adeo nil interfuit religioni, ut quid Lutherus cum sequacibus contrarias fixit pertinacia tanta, ut Romano-catholicos tanquam antichristianos traduxerit? Quare ipsaemet illae Ideae dogmaticae in causa fuerunt, ut tot inter se diversae confessionum formulae cuderentur? In solo colloquio Naumburgensi jam harum duodecim sunt exhibitae. — Denique clerum protestanticum suae maxime possessioni confidere, novissime probat das Gutachten gewißer protestantischer Herren Geistlichen über die Bahrdtische Sache. col. 6. — Et licet milleni mecum sentiant, externe tamen possessionem illam panis gratia impotenter urgent. Sic ad Semleri & aliorum Protestantium contra se objectionem reponet Bahrdtius.

§. LXXXI.

Nos porro per unicam argumenti inversionem totum Bahrdtii principium scindimus, quod sine vulnere proprio scindere nequeunt Protestantes. Pars nulla hominum proprio, id est, privato suo judicio rimari, probareque potest sancta dogmata ab ecclesia semel ad credendum proposita; sed neque clerus sua possessione inflatus, verum assistentia infallibili Spiritus sancti suffultus, per legitimam successionem hinc ab Apostolis derivatus, & nedum scripto, sed etiam tradito Dei verbo confisus, illa dogmata veris Christi fidelibus exhibet. Itaque vi hujus divini systematis ecclesiae nemo

am-


amplius fidelium jus obtinet, ut in illorum adhuc veritatem inquirat, aut rationis omnimodam demonstrationem expectet. Ubi de ecclesiae suae judicio irrefragabili convictus in genere est, cum maxima nonnisi insania de dogmatis ab ecclesia propositis in specie dubitat. Nae enim omnis hunc Logica derelinqueret, quando in rebus fidei omnibus per ecclesiam oblatis ejusdem authoritatem agnoscat, hanc autem determinate dogmaticam veritatem credi debere neget. — Haec nimirum sancta simplicitas, qua humiles filii vocem suae Matris audiunt, eique cui authoritatem loquendi suo sanguine contesseratam Salvator contulit, promti & non reluctantes obediunt, haec inquam simplicitas uti verae fidei catholicae fundamentum, ita illius defectus infidelitatis tam Bahrdtianae, quam Protestanticae fomentum est. „ Diversae haereses, diversa schismata personant, linguae multae contradicunt veraci doctrinae. Tu curre ad Tabernaculum Dei, ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum. „ S. AUGUSTINUS (r) — Haec porro ecclesiae authoritas tanta est, ut ipse de se Lutherus fateatur: „ Omnibus argumentis superatis, unum vix, & non nisi aegerrime per gratiam Jesu Christi superare potui, audiendam scilicet ecclesiam. „ (s)

§. LXXXII.

(r) Conc. 3. in psal. 30. (s) in praefat. Tomi I. suorum operum.



§. LXXXII.

Subſequitur principium Bahrdtii quintum pag. 12. cum priore connexum. „ Illa proinde do-„ gmata, inquit, veluti fons praecipuus reputan-„ tur graſſantis ubique infidelitatis, quae ab aulis „ ad caulas usque protenditur, brevique religionem „ e mundo omnem pellet, ni malo per alia reme-„ dia, quam violenta & libertatem adfligentia ſuc-curratur. „ Bahrdtius. — Cui Semlerus: „ In „ primis falſum eſt, ullum uspiam Doctorem illa „ dogmata cogitantis cujusdam hominis conſcien-„ tiae velle obtrudere. Rara proin foret ſcrupulo-„ ſitas, totam ideo rejicere religionem, quod illa „ ſymbolicis inſerta legantur libris, ad trium prae-„ ciſe religionum differentiam ſtabilitis. pag. 42. „ Omnes equidem tres eccleſiae toleratae eidem vo-„ lunt revelatae per Jeſum Chriſtum religioni ad-„ haerere; at collecta a ſingulis dogmata nunquam „ fuere omnibus communia: neque omnes eidem „ capiti parent: neque ſibi invicem, quantum ad „ judicia & conſcientiam, ſubjecta ſunt; ſed illam „ ſequuntur doctrinae normam, quam ſui cujuslibet „ Doctores praetulere. Omnes itaque ſecundum „ inaequalitatem civilis conditionis provinciarum, „ urbium, atque doctorum differunt; omnes qui-„ dem chriſtianae, at non omnes eadem doctrinae „ forma & libro praeditae, quod nullo non tempore „ unitas Idearum ſuper iisdem objectis fuerit im-„ poſſibilis. Proinde una eademque religionis for-

„ ma pro Christianis Europae omnibus introduci „ non potest, & sic abest periculum coactionis violentae, totiusque religionis e mundo pellendae. „ pag. 46. & 47. Demum intrepide adsero, Archichristianismum non dari, puta, idenditatem „ unicam quoad conceptus dogmatum; quin potius existunt tot modificationes moralium Idearum, quot Doctores, qui secundum tempus & „ locum fuere diversi. Itaque continuo existent „ varia doctrinae systemata, necessario quidem, & „ absque ullo religionis propriae nocumento. „ pag. 48. Ita Semlerus.

§. LXXXIII.

Et hoc sit Bahrdtium refutare? nimirum si hostem adjuvare sit eum vincere. Haut multis altercabor cum vulpe, qui seipsum prodidit. Nullus unquam Doctorum Christianorum praedicta dogmata humanis obtrusit conscientiis; Tres Ecclesiae toleratae nec eamdem doctrinam, nec idem caput habent; nec sibi invicem sunt subjectae; unitas Idearum & identitas quoad conceptus dogmaticos dari non potest ob locorum atque Doctorum diversitatem. Ergo recte concludet prudens quilibet cum Bahrdtio, hanc scissionem ecclesiarum ita necessariam, & ex ipsis dogmatibus, quae in praxin deduci non possunt, ortam esse fontem infidelitatis praecipuum; statuere poterit quilibet, religionem christianam non esse veram, quia regnum in seipso divisum; atque ideo brevi totam illam e mundo

pellen-

pellendam, ni libertas conſcientiae permittatur, ut ſaltem aliqui e prudentioribus adhuc genuinam invenire, ſectarique valeant. — Quid quaeſo ad huncce diſcurſum Semlerus? quid alii e Proteſtantibus? aut concedant, unam tantum ex tribus ſibi contradicentibus eccleſiis eſſe veram; aut ſi omnes ſunt verae, pugnantia docet Chriſti eccleſia, & ſic fons erit infidelitatis ſecuturae; cauſa erit ſcepticiſmi, ac tandem religionis verae omnis ex orbe eliminandae. Prudentes enim viri ſcepticam religionem amplius nec docebunt, nec praedicabunt; ſed unicum tandem eſſe remedium credent, ut liceat cuilibet pro ſuo modulo & ea, quam habet, perſpicacia veram ſibi religionem inquirere, & producere.

§. LXXXIV.

Rumpat igitur denuo Bahrdtianae perfidiae filum eccleſia, quae ſola vera eſt, Romano-catholica. Haec omnes reliquas a ſe excludit tanquam alienas; haec opus non habet aliquod ſibi ſmigma tribuere ex adgregatione Proteſtantium; haec falſa reputat, quae contra ſe tuentur Calviniſtae & Lutherani; haec ſola in dogmatibus una, cum reliquae duae ſint in ſe ipſis diſciſſae; haec Romae docet, quod Corinthi; Viennae, quod Mediolani; cum Lutherica aliter in Saxonia doceat, quam in Poruſſia: Calviniſtica aliter in Helvetia, quam in Hollandia. Non ergo Romanae Eccleſiae dogmata fons incredulitatis dicenda, non irreligionis fomentum, non

fcepticifmi occafio, non verae fidei exitium, non Libertinifmi patrocinium. De Romana quippe ecclefia illud S. Cypriani (t) fumendum: „ hoc uni„ tatis facramentum, hoc vinculum concordiae in„ feparabiliter cohaerentis oftenditur; quando in E„ vangelio tunica Domini Jefu Chrifti non dividitur „ omnino nec fcinditur, fed fortientibus de vefte „ Chrifti, quis ipfam potius indueret, integra ve„ ftis accipitur, & incorrupta atque individua tu„ nica poffidetur. — Poffidere non poteft indumen„ tum Chrifti, qui fcindit & dividit ecclefiam Chri„ fti. „ Si ergo Bahrdtius ad hoc unitatis centrum refpexiffet; nifi Romanam ecclefiam catholicam, uti etiam Semlerus audebat facere, cum duabus reliquis toleratis conjunxiffet; procul hinc fuiffet inutilis ipfius timor, ac libertina cavillatio: neque ea adhuc quae fequuntur, tenuiffet principia; Nam 6to.

§. LXXXV.

Ulterius dicit pag. 14. „ Evangelium aliter „ longe, quam hucufque factum, operaretur fan„ ctitatem hominum, ac emendationem, fi ab om„ ni humanarum hypothefium & opinionum ex„ cremento purgaretur, & originariae fuae puri„ tati redderetur ac fimplicitati. „ Bahrdtius. — „ Cui Semlerus: „ quid eft originaria puritas Evan„ gelii & fimplicitas? — Non eft poffibile, fyftema quod„ dam religionis completum omnium opinionum „ efficere, quin hominibus eo ipfo auferatur pro„ pria omnis judicandi poteftas; hinc nunquam,

„ ne

(t) L. de Unit. Eccleliae.

„ ne Jesu quidem aut Pauli tempore, alia doctri-
„ nae christianae forma dabatur, quam quae per-
„ mixta fuit propriae singulorum individuorum vi
„ cogitandi, & adcommodata locali istorum situi.
„ Unde in speciali quadam adplicatione judicii
„ ad hanc vel illam hypothesin e. g. de originali
„ peccato & illius imputatione, de Divinitate Chri-
„ sti & Spiritus sancti, relinqui debet omnimoda li-
„ bertas conscientiae; sicut Protestans Catholico
„ & vicissim Catholicus Protestanti relinquere il-
„ lam debet in doctrina de Eucharistia. Igitur
„ frustraneus plane labor est de doctrina universa-
„ li aut conscientiarum unione inducenda. „ pag.
58. & 59. „ Denique si ad veram & genuinam hi-
„ storiam respicio, puritatem Evangelii in sensu
„ Bahrdtii acceptam, id est, purgatam ab hypo-
„ thesibus non invenio. Quod dixi, repeto: nec
„ religionem, nec ecclesiam, nec libros scio, ubi
„ purum illud aurum videri posset. — Libri no-
„ stri symbolici multo magis prosunt coaetaneis
„ nostris, quam Veterum scripta, quae pro homi-
„ nibus illius temporis serviebant. „ Ita Semle-
rus pag. 60.

§. LXXXVI.

At enim quam nociva religioni est hujus authoris responsio? ausim dicere, magis esse scandalosam, quam sit expressio Bahrdtii, atque ideo ad hunc revincendum neutiquam idoneam. Semlerus nec in sancta quidem antiquitate, nec Jesu


vel Pauli tempore, ullam novit religionem, ecclesiam aut librum ab omnibus omnino hypothesibus purum: doctrinam christianam nullam, quae non proprio individuorum judicio disquiri potuit, & locali istorum situi adcommodata fuit. Loquitur autem hic author de hypothesibus & conceptibus utique dogmaticis, quales dantur e. g. de justificatione hominis, de Divinitate Christi & Spiritus sancti, de poenarum aeternitate; de his dicit impossibilem esse doctrinam universalem aut conscientiarum unionem, sed magis relinquendam libertatem velut in doctrina de Eucharistia relinquitur. — Bone Deus! quam verum est effatum tuum: mentita est iniquitas sibi! ergone tu talem per divinissimum Filium tuum, Ejusque Apostolos nobis dedisti religionem, in qua impossibile sit, ut sectatores illius in dogmaticis etiam conceptibus conveniant? ergone ecclesia tua essentialiter est mater scepticismi? ergone Filius tuus sanguine suo efficere non potuit, ut esset in mundo unum aliquod ovile & unus pastor? hic divinus Salvator statim a principio promulgati a se Evangelii reliquerit illud singulorum individuorum judicio, & locali regionum adcommodaverit situi? aeterna veritas Christus, qui nil magis quam doctrinae unitatem intendit (horresco referens hanc sequelam) fautor ac promotor Theismi sit? Patrum veterum & Conciliorum scripta minus utilia modernis hominibus, quam libri Protestantium doctrinales? —

Cesso;

Cesso; nec enim dolor ulterius me sinit eloqui. Bahrdtius Evangelicam puritatem saltem agnovit antiquitus datam, tametsi neget, impugnatos a se articulos tum temporis contineri, & hypotheses illorum dogmaticas penitus absuisse adfirmet. At Semlerus hypotheses dogmatum illorum dubias jam Christi & Pauli tempore datas, & cujuslibet judicio relictas asserit; proindeque puritas Evangelica & simplicitas locum ne tum quidem habuit. Jam lector judicet, num magis tolerari Semlerus, quam Bahrdtius debeat?

§. LXXXVII.

Quamquam cur istis viris succenseo? Lutherani sunt, ideoque locuti secundum suae sectae principia. Protestantes enim jam hinc a Lutheri & Calvini tempore privatum jactare spiritum, nemo est, qni nesciat. Ex ipsis adeo Scripturae documentis probare contendunt, Deum fecisse omnibus licentiam etiam de dogmatis judicandi. Non ergo fieri ullo modo potest, ut omnes diversae in se indolis ac judicii in suis conceptibus conveniant. Ergo vel dicendum, unitatem hanc ne fuisse quidem Christi tempore necessariam, quod Semlerus innuit; vel certe dogmata illa de facto controversa ad primam illam ecclesiae doctrinam non pertinuisse, quod vult Bahrdtius. — Igitur jam denuo per quidquid sacrum vos obtestor D.D. Protestantes, privatum Spiritum tollite, unam in dogmatibus ecclesiam admittite, suam illi infallibilita-



tem intactam relinquite; damnate Lutherum, & commilitones, ni velitis damnare Christum & Apostolos; ni schismaticam & in se ipsa divisam sentire malitis sectam vestram, obligate fideles vestros in conscientia, ut credant omnia, quae ipsis proponit ecclesia; quod cum ex defectu legitimorum & Apostolicorum ecclesiae vestrae praesulum praestare non possitis, ad aliam confugite, quae jam hinc ab Apostolis authoritatem hanc se possidere commonstrat: vel Bahrdtio totum concedite, eumque tolerate. — Apud nos certe Catholicos nemo sibi de periculo deceptionis timeat; nam ut praeclare S. Epiphanius. (u) „ Termini nobis positi „ sunt & fundamenta, Apostolorum traditiones, „ & Scripturae sanctae, & successiones doctrinae; „ nemo decipiatur novis fabulis. „

§. LXXXVIII.

Equidem nos ipsi concedimus, dari dogmata, de quibus inter fideles primitivae ecclesiae tam perspicue communiter non constabat. At propterea non sequitur, ea omnia, quae de facto credimus, non fuisse vel verbo Dei scripto, vel tradito revelata. Ipsae adeo haereses variis ortae temporibus famulabantur, ut ita dicam, ecclesiae; erat enim opus, ut illarum occasione multae fidei veritates jam clare proponerentur, de quibus antea fideles praesulum suorum judicio adhaerentes non dubitabant. Eadem itaque nec plura, nec pauciora Chri-

---

(u) Haeres. 55.

Chriſti temporibus erant dogmata, quae nunc ſunt, licet quoad nos necdum tam clare eliquata, ſed eccleſiae primum judicio declarata. Nimirum „oportet eſſe haereſes, ut fides habendo tentationem, „ habeat etiam probationem. „ *Tertullianus* (w) — Eja itaque acceptamus conditionem. Examinentur ad Evangelium, ac eccleſiae veteris traditionem eccleſiarum modernarum dogmata. Statuantur omnes tres in Imperio toleratae, Romano-catholica ſcilicet, Lutherica & calviniſtica. Si ex illis nulla Evangelicam habeat unitatem & ſimplicitatem, teneatur nulla. Si aliqua illam participet, & doceat, quod antiqua docuit eccleſia; tunc illi adhaereatur. Id ſolum jure expetimus in hoc judicio, quod pridem Tertullianus poſtulavit (x) ſcilicet „ non ad ſcripturas provocandum, nec in „ his conſtituendum certamen, in quibus aut nul„ la aut incerta victoria eſt, aut parum certa. — „ Id ſolum diſputandum, quibus competat fides „ ipſa, cujus ſint ſcripturae; a quo, & per quos, „ & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua „ fiunt Chriſtiani. „

§. LXXXIX.

Principium Bahrdtii ſeptimum in eo conſiſtit, quod ipſe moderni, ut vocat ſyſtematis religionem, quaſi chaos immenſum aſpiciat, ad quod perquirendum vires prudentum neceſſariae ſunt & animus. Sic adloquitur Caeſarem pag. 15. „ Utinam

 „ Ma

(w) L. de praeſcript c. 1. (x) Ibid. c. [illegible]

„ Majestas Vestra Caesarea a Deo ad id electa fo-
„ ret, ut omnes illos contra persecutionis rabiem
„ defenderet, qui vires habent & animum, pro
„ hac magna humanitatis necessitate laborandi;
„ immensum chaos systematicae religionis perqui-
„ rendi; & purum denique divinae ac salvificae
„ Christi religionis aurum extrahendi. „ Bahrdti-
„ us. — Quis ita exoptat? respondeant lectores
„ ipsimet. O bone Deus! si christiani nostri purum
„ divinae religionis aurum non repererunt; si
„ Doctores eorum, quos inter multi ferventissi-
„ mi amici Christi, & agnitores deprehenduntur
„ unter allen drey Partheyen, illud ipsis aurum o-
„ stendere hucusque nequiverunt, donec Bahrdtius
„ id ostenderit; vae multis centum christianorum
„ millibus! atque ad novam hanc reformationem
„ propugnandam Caesarea ipsa Majestas suam au-
„ thoritatem interponat? proh arrogantia quanta,
„ & praecipitantia! „ Semlerus pag. 61. & 62.

§. XC.

Optime. At scilicet reponet Bahrdtius e Lutheri schola hanc se arrogantiam didicisse. Referam Scholiarchae hujus fanatici verba: „ citra arro-
„ gantiam libere dixerim, per me sacram scriptu-
„ ram ita repurgatam, ita illustratam esse, ut
„ intra annos mille nunquam fuerit vel clarior,
„ vel notior pluribus. „ (z) Videatur etiam illi-
us

(z) Tom. 2. edit. Witteberg. per Joannem Lufft anno 1546. pag. 538.

us responsio ad Georgium Saxoniae Ducem, ubi non verebatur scribere: „ Haec est mea gloria & „ honor per gratiam Dei, quod a tempore Apo- „ stolorum nullus Doctor, nullus scriptor, nul- „ lus Jurista, nullus Theologus tam praeclare, „ quam ego, conscientias hominum instruxerit & „ consolatus sit; nec Augustinum, nec Ambrosi- „ um in hoc puncto pares mihi agnosco; in hoc „ glorior ad Dei gratiam, & diaboli confusio- „ nem. „ (a) — Videant jam D. D. Protestantes, an Semlerus, an ipsi sine pudore resistant Bahrdtio. Bone Deus! numquid idem dici de Luthero potest? si intra annos mille Patres & cultores Christi ferventissimi, quibuscum etiam optimi e Protestantibus in comparatione non sunt, si inquam illi non repererunt puram fidei doctrinam; vae multis centum Christianorum millibus! quid? „ ali- „ quos Marcionitas & Valentinianos (Lutheranos „ & Calvinistas) liberanda veritas expectabat? in- „ terea perperam evangelizabatur? perperam cre- „ debatur? „ Tertull. (b) — Non potestis mei Domini! non potestis Bahrdtium superare, nisi promti sitis Lutherum vestrum condemnare. Missionem uterque eandem habet, scilicet nullam; Doctoratum uterque, sed male adplicatum; spiritum privatum uterque, at ludicrum. Dixi; nil deest Bahrdtio, quod Lutherus habuit, praeterquam protectores principes; hi si faverent, haberemus forte Lutherum alterum, Socinum, Pelagium, Arium.

§. XCI.

(a) Tom. 6. apud aurifab. (b) Cit. c. 28.



§. XCI.

Sed enim Caeſarem appellavit catholicum, ve-
raeque eccleſiae praeceptis imbutum, quem ſuae
religionis candor prohibet diabolicos Bahrdtii aſtus
adprobare, nec lugubris illa temporum Epocha,
graſſante ac tumultuante Luthero data, cogit ex-
terne tolerare. Repudiat ille recipere inſtructio-
nem fidei ab alienigena; recordatur nobiſcum tam-
quam verae protector eccleſiae, quae Tertullianus
ſcripſit: „nobis etſi quaerendum eſſet adhuc &
„ ſemper (in rebus religionis) ubi tamen quaeri
„ oportet? apud haereticos? ubi omnia extra-
„ nea & adverſaria noſtrae veritati; ad quos pro-
„ hibemur adcedere. Quis ſervus cibaria ab extra-
„ neo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat?
„ quis miles ab inſoederatis, ne dicam ab hoſti-
„ bus regibus, donarium & ſtipendium captat,
„ niſi plane deſertor & transſuga & rebellis? E-
„ tiam anus illa intra tectum ſuum drachmam re-
„ quirebat: etiam pulſator ille vicini januam tun-
„ debat: etiam vidua illa non inimicum, licet
„ durum, judicem interpellabat. Nemo inde ſtrui
„ poteſt, unde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur,
„ a quo contenebratur. Quaeramus ergo a noſtro,
„ & in noſtris, & de noſtro: idque duntaxat quod
„ ſalva regula fidei in quaeſtionem poteſt deve-
„ nire. „ (c) — Joſephus II. glorioſus avorum
Apoſtolicorum ſurculus patietur nunquam, ut ve-
ra

(c) Cit. c. 12.

ra ſibi Imperatoris quondam Baſilii ſententia eximatur. qui in octava ſynodo ſic loquebatur. „de vobis laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, „ quam quia nullo modo vobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus „ reſiſtere dignitati eccleſiaſticae, & univerſali „ ſynodo adverſari. Hoc enim inveſtigare & „ quaerere Patriarcharum, Pontificum. & ſacer- „ dotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, „ qui ſanctificandi, qui ligandi, & ſolvendi pote- „ ſtatem habent; qui eccleſiaſticas & caeleſtes „ adepti ſunt claves; non noſtrum, qui paſci de- „ bemus, qui ſanctificari, qui ligari vel a ligamen- „ to ſolvi egemus. „

§. XCII.

Ad ultimum tandem Bahrdtii principium properemus; concludit praefationem: „ utinam ſub „ ſupremo Majeſtatis Veſtrae regimine dies illuceſ- „ cat, ubi in Europa chriſtiana illi omnes repu- „ tarentur pro chriſtianis, inque ſtatus & huma- „ nitatis juribus protegerentur, qui Jeſum Chri- „ ſtum venerantur, ipſiusque doctrinam confectan- „ tur; quin coacti ſint amplius Cephianos ſe, „ Paulianos, Papiſticos, Calvinianos aut Luthe- „ ranos nuncupare, & ſuper hominis verbo jura- „ mentum deponere.„ Bahrdtius. — „Cui bono vota „ tam inutilia, tamque fruſtranea? reponit Semlerus. „ Jam pridem compertum eſt in Germania, illum eſſe

„ Chri-


„ Christianum , qui colit Christum, ejusque do-
„ ctrinam sectatur. Sed & illud constat , eum-
„ dem Jesu Christi cultum , & imitationem do-
„ ctrinae diversitatem subire pro christianorum
„ varia localitate. Non itaque universalis & iden-
„ tica praescribi norma debet in Europa, cum li-
„ berum Christiano maneat, prout apud se convi-
„ ctus erit , loqui , & judicare. Eaeque
„ praescriptae religionum formulae propriam reli-
„ gionis praxin non praecipiunt , sed probatam
„ solum relate ad subditos directionem & instru-
„ ctionem continent. „ Ita ille pag. 63. &
„ 64. — „ Porro eequis cogit nos, ut illa nomi-
„ na recipiamus, & nos Cephae, Pauli, Papae,
„ Calvini aut Lutheri esse dicamus? quantum ad
„ conscientiam & propriam religionem dari ne-
„ quidem possunt haec nomina ; nullus eis hic
„ locus est. Ad externam tantum societatem il-
„ la pertinent. pag. 65. Demum perquam mira-
„ bile est Bahrdtii gravamen , quod contra jura-
„ mentum de doctrinae norma tenenda deponi
„ solitum ingerit. Ubivis locorum juratur super
„ propositum quemdam ab hominbus contractum ;
„ num forte iniquum hoc est? licet alicui subdito,
„ secundum summam sibi propositam, verbatim eti-
„ am deponere juramentum ; licet jurare militi ad
„ praestitutas ipsi conditiones ; eccur id fieri ne-
„ queat super libris symbolicis, & norma doctri-
„ nae cuidam societati propria? — Proxime forsi-

„ tan

„ tan caesarea etiam capitulatio, & solemnis Ma-
„ jestatum ac principum assecuratio reformabitur,
„ quod & his super hominis verbo juretur? „
pag. 67. & 68.

§. XCIII.

Ducas lector benevole! denuo paralellum, Si quilibet cultus Christi, & consectatio doctrinae illius christianum facit, si pro locorum varietate diversus esse tam ille, quam ista potest; si praescriptae religionum formulae non sunt praeceptivae; si judicare non modo, sed loqui etiam cuivis liberum est, prout quilibet secundum videri suum se convictum putat; quid obstat etiam Arianos, Manichaeos, & Socinianos inter veros computari christianos? Ita sane Semlerus, nam inquit: „Ich lasse auch die Socinianer Christen seyn. „ pag. 63. Rursus alio loco inquit: „ Marcioniten, Valentinianer, Arianer haben in den Grundsätzen des „ inneren praktischen Christenthums keine Irrthümer „ gehabt, welche sie zu Unchristen so machen könnten. — Die Nestorianischen, Eutichianischen, „ Monothelitischen Streitigkeiten gehören ganz und „ gar nicht hieher; indem sie den Grund des Christenthums nicht betreffen, also dem Christenthum „ nicht wesentlich sind. — Wir wollen von nun an „ die Haereticos freylich anders beschreiben, als in „ der Zeit der Dummheit, und Finsterniß möglich „ war. „ (d) Hercule! in quo Semlerus a Bahrdtio

(d) Antwort auf die Freyburg. Recension pag. 222

Bahrdtio differt? — Rursum; universalis & identica praescribi norma in Germania, teste Semlero, non potest; neque illa nomina ullam relationem habere ad forum internum possunt, sed ad externam duntaxat tranquillitatem pertinent. Eccur itaque in Europa non etiam tolerentur Sociniani, sicut Lutherani? nimirum quia his favent concordata? sed enim religioni Romano - catholicae non modo faverunt humanae pactiones (quae & ipsae a Protestantibus illegitime primitus extortae sunt) sed ipsa etiam Apostolica antiquitas illam commendavit; & tamen proh dolor! Lutheranis & Calvinianis sectas invehere novas licuit. — Denique ultimum Bahrdtii gravamen de juramento super symbolicis libris non deponendo mirabile dici neutiquam debet; est enim Protestantismi principiis maxime consentaneum; quandoquidem

§. XCIV.

Primarii etiam & plerique e Protestantibus modernis scholiarchae admittunt facile, ea quae in illis continentur libris, de se falsa esse absolute posse, & adhuc ulteriori Doctorum disquisitioni substare, posseque apud se quempiam aliter convictum reddi. Et quaeso te, adeone vilescit ipsis sancta juramenti religio, ut illud quispiam valeat super tali re aliqua deponere, quam incertam esse & forte falsam judicat? Si homo contractum aliquem juramento firmet, quem semper timere debet, an physice, aut moraliter in conscientia servare

vare

vare possit: si subditus quaedam adjuret puncta, de quorum aequitate dubitat: si religione se miles adstringat pro conditionibus, quas ambigit, malaene sint, an bonae; Num praeceps adeo, divinaeque gloriae maxime praejudiciosum probabitur juramentum? Atqui toties probatur a Protestantibus, quoties super fallibilibus de se articulis, aut libris symbolicis, aut ipsi jurant. aut alios jurare sinunt: Praetereaque dant licentiam, imo mandant, ut Doctor praedicet aliter, quam subinde sentit. Vide §§. 74. & 75.

§. XCV.

Hoc sane pressi argumento jam pridem Calvinistae infallibilem suis synodis authoritatem vindicare volebant; uti refert Illustrissimus Bossuet (d). Taceo synodum illorum Dordraci habitam, taceo Carentonensem in Gallia ab iis celebratam; solam hic adduco Vitriensem, in qua Ecclesiae Calvinistarum peculiares solemni se juramenti religione obstrinxerant ad synodi nationalis definitiones acceptandas, „ ex firma persuasione, ut ibidem dici-
„ tur, quod Deus ei praesidebit, eamque in omni
„ veritate & aequitate per verbi sui regulam diri-
„ get. „ — Ad hanc necessitatem etiam vos redigimini D. D. Lutherani! Ni Confessioni Augustanae, ni conventibus vestris, in quibus confecti sunt concordiae & symbolorum libri, infallibilitatem vindi-

(d) Exposit. Doctr. Christian, c. 20.

vindicetis, juramentum deponere non poteſtis. Atqui ſubinfero, aſpicite majores veſtros, quin & Doctores Evangelicae veſtrae eccleſiae paſſim omnes, qui alicujus nominis ſunt; nullus ex iis tantum ſibi animi ſumit, ut authoritatem humanam agnoſceret infallibilem; imo ſi quispiam id facere vellet, contradiceret eccleſiae ſuae principiis, & ſtatim alios pleroſque ſeveros experiretur adverſarios, quos in Vitrienſi Synodo Calviniſtae ſunt experti. Certe Semlerus ipſe eccleſiae ſuae nomine profitetur: „ Proteſtanten haben das Anſehen der Kirche, „ das iſt, der Kirchenverſammlungen, wie ſie von „ Eccleſia gebraucht werden, nicht ferner ſo beybe„ halten, wie in der Römiſchen Kirche es noch immer „ golte. Dieſer Grundſatz, worauf der Proteſtan„ tiſmus beruhet, iſt ſeit Luthers Schriften ganz „ ausgemacht; Concilia ſind für uns kein principi„ um ſciendi & docendi. „ (e) — Igitur vos ipſi concludite, qua fronte, quave audacia ſuper Auguſtana Confeſſione, ſuper libro concordiae & ſuper aliis ſymbolis veſtris, tanquam ſuper humano mere verbo (ut recte inquit Bahrdtius) ullum deponere juramentum poſſitis?

§. XCVI.

At ſcilicet juramentum ſimile ſuper humano mere verbo deponit Caeſar quilibet noviter coronandus? Adſtringit ſe firmiſſima religione, quod

tam

(e) Reſp. ad recenſ. Friburg. pag. 197.

tam Protestantes velit in sua possessione defendere, quam Romanenses? Bene vero; sed edicite mei Domini! illudne facit Caesar in favorem religionis Protestanticae, an Romano-catholicae? Faceretne, nisi dura quadam necessitate compulsus, ne in veros Romanae ecclesiae filios majora mala incurrerent? Objectum juramenti Caesarei est tranquillitas publica, & unice verae religionis favor, propter quam tolerat Protestantes, qui vel ideo tales dicuntur, quod nolebant Catholicis adquiescere, donec suae capitulationi, & instrumentis publicis illum etiam de tuendis illorum sectis Paragraphum Imperator insereret. Valet itaque juramentum Caesareum ob bonum religionis Romano-catholicae, non item ob bonum Protestanticae. — Ut vera hic me scribere agnoscas, proferam verba ex capitulatione Caesarea Caroli VIti sub Art. 1mo:
„ So viel aber in diesem Artikul, den Stuhl zu Rom
„ und Päbstl. Heiligkeit betrift, wollen die der
„ Augsburgischen Confession zugethane Churfürsten
„ vor sich und ihre Religions-Verwandte Fürsten
„ und Stände Uns darmit nicht verbunden haben,
„ gestalten dann auch gedachte Advocatia dem Reli-
„ gion- und Profan- auch dem Münster- und Oß-
„ nabrückischen Friedens-Schluß zu Nachtheil nicht
„ angezogen, noch gebrauchet, sondern denen obge-
„ dachten Churfürsten und sammtlichen ihren Reli-
„ gions-Verwandten im Reich gleicher Schutz ge-
„ leistet werden solle; wie Wir ihnen Churfürsten



„ und sammtlichen ihren Religions-Verwandten „ auch solches kraft dieses versprechen, und Uns hie- „ mit darzu verbinden. „ (f) Ideo proinde protectionem suam ecclesiis Protestanticis adsecurat Caesar, quod similem alias Romanae sedi & Ecclesiae promitti non paterentur Principes Acatholici. Est itaque latissima disparitas Caesareum inter, & juramentum Pastorum Lutheranorum. Infideles quosdam subditos ob verae religionis bonum tueri mere extrinsece, nihil omnino mali habet; ast praedicare ac docere doctrinam, quae de se falsa esse potest, & contra quam sentire interne cuivis liceat, id enimvero grande piaculum est, tale quidem, quale datur periculum, ne perniciosi in religionem errores publice aut invehantur, aut homines in illis falso confirmentur.

§. XCVII.

Quia in paritate illa de Caesareo juramento tantopere Protestantes confidunt, juvat eos adhuc isthoc ad hominem casu repellere. Eja, si Bahrdtius tantum subin roboris adquisivisset, ut in suam etiam partem magnos quosdam Principes cum suis subditis pertraheret; si dein gravissima orirentur dissidia & bella, ita ut non jam soli Catholici; sed ipsi etiam Protestantes in tristem detruderentur necessitatem, aut concedendi, quod cum suis vult Bahrdtius, aut ulteriora & summe periculosa mala Eccle-

(f) Art. 1. apud Vitriar.

Ecclesiae Christianae experiundi; numquid liceret Principibus tam Catholicis, quam Protestanticis juratum inire foedus de Bahrdtianis adseclis & tolerandis & tanquam Romani Imperii membris defendis? — At vero cum perinde liceret Bahrdtio & ejus commilitonibus semet juramento adstringere ad Socinianam, Pelagianam & Arianam doctrinam populo publice tradendam? — Illud prius in bonum Ecclesiae suae coacti faciunt Principes Catholici erga Lutheranos & Calvinistas: Posterius vero facere salva conscientia & conformiter suis propriis principiis nemo Protestantium potest. Legatur Confessio Augustana, in qua Art. 1mo de Deo Confessores hunc in modum loquuntur: „ Ecclesiae magno consensu apud nos docent, „ decretum Nicaenae Synodi, de unitate essentiae „ divinae, & de tribus personis, verum, & sine „ ulla dubitatione credendum esse. — Damnant „ omnes haereses contra hunc articulum exortas, „ ut Manichaeos, Valentinianos, Arianos, Eu- „ nomianos, Mahometistas, & omnes horum si- „ miles. Damnant & Samosatenos, veteres & „ neotericos, qui de Verbo & Spiritu sancto a- „ stute & impie rhetoricantur. „ (g) En itaque, ut haereticos alios tam veteres, quam neotericos condemnent Lutherani! & qui fieri potest, ut a catholico Caesare Concilii Tridentini & Romanae Ecclesiae definitionibus se submittente Luthericam

(g) Art. 1. de Deo.


fectam aut Calvinisticam pro conscientia jurato etiam adprobari, Protestantes contendant?

§. XCVIII.

Simus igitur boni, & scapham dicamus scapham. Subditus aliquis, qui in regno quodam praecise toleratur, non potest excipere, si novus denuo alius quispiam a Principe admittatur. Ergo neque religio praecise tolerata valet excipere contra aliquam noviter tolerandam. Sed sectae, Lutherana & Calvinistica, in Romano Imperio dicuntur toleratae, ut ipsi Protestantes diffiteri non possunt. Ergo non valent excipere contra Bahrdtium & ejus religionem. Sola proinde Ecclesia Romano-catholica est, quae sua se antiquissima possessione tuetur: sola quae dici mere tolerata nullatenus potest; esset enim imprudens Matrem ipsam dicere toleratam, quae, ne morigeris filiis nocumentum adferat, filios etiam degeneres in sua domo patitur: Sola, quae ante reformationis tempora Germaniam licite occupavit. Haec itaque sola loquatur, haec ingemiscat, haec queruletur contra Bahrdtium; haec illum proscribi, ejusque doctrinam supprimi, & malos astus evelli radicitus postulet. Ne vero Bahrdtius, sicut quondam Lutherus, Calvinus & eorumdem adseclae, interitum visibilis ecclesiae pro sua reformatione praetendat, illud interea S. Augustini grave dictum intorqueo: „ Illa ecclesia, „ quae fuit omnium gentium, jam non est, periit? „ Hoc dicunt (*Protestantes*) qui in illa non sunt.

„ O

„ O impudentem vocem! illa non eſt, quia tu in „ illa non es? Vide, ne tu ideo non ſis; nam illa „ erit, etſi tu non ſis. „ (h)



Concluſio Operis.

§. XCIX.

Cum jamjam ad finem mea vergat oratio, liceat mihi amice Lector! porro unicam adhuc rogationem ad te ferre. Quid fiet, ſi D. D. Proteſtantes ſuis inniti principiis pergant, & ab agnoſcenda eccleſiae authoritate infallibili alienati maneant? Edicam, quod res eſt. Finis tandem erit Lutheraniſmo, finis Calviniſmo. — Non eget Eccleſia noſtra Catholica ſciolo quodam Procuratore, qui aliquod manſuetum, at ineptum ſchediaſma conſcribat ad reuniendos Acatholicos; prout ante biennium tentare auſus eſt ſcribillator quidam ſub Titulo: Erſter Schritt zur Union. — Nequaquam; Eccleſia noſtra de ſuis dogmatis remittere nihil poteſt. Id ſolum interea petit a filiis diſcolis ut concedant infallibilem authoritatem. Quod ubi non conceſſerint, finis Lutheraniſmo & Calviniſmo tamen erit. Bahrdtius millenos brevi numerabit, imo jam actu numerat adſeclas. „ Tauſend und „ abermal Tauſend denken ſo wie ich. Tauſend und

(h) Epiſt. fundam. c. 5.



„ abermal Tausend wünschen, sehnen sich mit mir „ nach Reforme, nach Freyheit; „ inquit ille in sua professione ad Caesarem data sub finem. Plures ejusmodi in sua ad Publicum declaratione idem recenset, inter quos & Semlerum antagonistam plane ludicrum. Addunt Protestantes tam Ecclesiastici, quam seculares Consiliarii in ihrem Gutachten über die Bahrdtische Sache, potuisse illis, qui a Bahrdtio nominantur, plures adhuc alios adjungi. Praecipueque huc spectare arbitror illos recensentes, quorum ope Bibliotheca universalis Berolini prodit, & qui plane nonaginta & ultra esse feruntur, varie per Germaniam dispersi. (i)

§. C.

Novissima de Ss. Librorum canone inter Protestantes controversia, quid aliud indicat, quid aliud probat, nisi religionem ipsorum esse fœcundam Theismi matrem? Pervulgatum est apud eruditos, ecquid nuperrime tentaverint Georgius Ludovicus Oederus, Gymnasii Onoldini Rector, Joannes Salomon Semlerus, Halae Magdeburgi Professor, Georgius Lud. Vogelius Magister, & adjunctus Halensis; quid denique alii? Hi non eo tantum progressi sunt, ut illos e Canone libros expungerent, quos Lutherus ejusve commilitones: Verum pro sua etiam libertate alios ab omnibus hactenus receptos sive textus, sive etiam libros demunt. Et qui-

(i) Aloys. Merz Weyhnacht-Predigt. Augsburg. 1780.

quidem de veteri Teſtamento cenſent, Libros hiſtoricos Judaeis datos vel omnino, vel partem maximam Chriſtianis eſſe inutiles: Libris Joſue, Judicum, Regum, Paralipomenon, Cantici Canticorum, Ruth, Esdrae, Nehemiae, & novem poſtremis capitibus Ezechielis ſuam Theopneuſtiam abjudicant: denique e veteri Teſtamento illa duntaxat eſſe colligenda adfirmant, quae ad doctrinam morum & emendationem ſpectare videntur, cetera Judaeis relinguenda. Sed nec mitius agunt cum novi Teſtamenti libris; praeter illos enim, quos primi Lutheranorum ſcholiarchae rejecerunt, Epiſtolam Pauli ad Philemonem apocryphis accenſent; addunt Apoſtolos immunes non fuiſſe a fermento, id eſt, inepta hebetum Hebraeorum doctrina, horumque ſe perſuaſionibus in ſcribendo adcom̃odaſſe: Perinde eſſe homini Chriſtiano, remque videri adiaphoram, Hiſtorias in novo Teſtamento contentas ſive credat, ſive perneget. Quid multa? generatim adſerunt, integrum eſſe Chriſtiano cuivis, plures vel pauciores ex his, qui vulgo circumferuntur, ſcripturae libros ceu divinos profiteri; & Pythagorae, Socrati, Platoni inſpiraſſe Deum, aeque ac Prophetis rerum utilium cognitionem, ut adpellari poſſint Prophetae. quoniam ſicut hos, ita illos Providentia Divina direxit, ut ratione ſua recte uterentur. (k)

(k) Diarium: Die neueſte Religions-Begebenheiten mit unpartheyiſchen Anmerkungen für das Jahr 1778. 3. Stück a pag. 176. & Chriſt. Franc. Walchius.



§. CI.

Equidem haud me clam eſt, quantopere ſciolis ejusmodi e ſuo ſinu oriundis reſtiterint alii eruditi Proteſtantes, veluti Jeremias Frid. Reuſſius Acad. Tubing. Cancellarius, Chriſtianus Frid. Schmidius Wittenb. Acad. Profeſſor, Joannes Paul. Commerellius, Superintendens in Ducatu Würtembergico, Petrus Andreas Müllerus, Halae Adjunctus, nunc Profeſſor in Acad. Buzovienſi, Joannes Rud. Pideritius Theologiae Profeſſor in Collegio Caſtellano; queis alios accenſere plures poſſem. (l) Hi omnes ſtrenue laborarunt in confutando novaturientes ſuos in religione collegas; imo illis etiam libris Theopneuſtiam vindicant, quos Martinus Lutherus, Chemnitius aliique anteriores Sectarii plenis buccis exploſerant; ipſam adeo Apocalypſim alias tantopere Proteſtantibus exoſam doctis lucubrationibus, & prolata in medium Veterum Patrum traditione maxime contra Semlerum tuentur. — Sed enim qui hanc inter Proteſtantes litem intelligo, ſimul eos omnes in turbido piſcari, & Bahrdtium plicatis in ſinu manibus ridere mihi videor. Ad Hermeneutices regulas ſcriptum Dei verbum accipi; ex ſtylo, antiquitate, doctrina, miraculis, & Veterum teſtimoniis Theopneuſtiam agnoſci debere, adſerunt paſſim omnes. Contra; humanam quamdam authoritatem in his exponendis infallibilem, proin

(l) Commentat hiſtoric. Conſtantiae edita 1780.

proin Conciliorum decisiones irrefragabiles etiam circa dogmata existere, denuo negant cum Lockio passim omnes. Audi jam Lector benevole, quid concludam!

§. CII.

Protestantium quilibet alteri, Bahrdtius Semlero, Semlerus Reussio potest oggerere: *Per quam viam transivit Spiritus a me, ut loqaeretur tibi?* Eccur mihi in tanta scientiarum ac artis criticae luce, dum certiora suppetunt linguarum, quas Oriens colit, hermeneutices sacrae, aliarumque disciplinarum subsidia, non liceat, recudere Canonem, mutare, addere, demere, atque libris qui positi sunt in Canone vulgari, divinitatem abjudicare? Eccur non licet addubitare dogmata meae etiam Ecclesiae recepta, iliaque perquirere, impugnare, resecare? Poterant homines errandi periculo obnoxii, rudes, ac in multis vel superstitiosi, vel ultra modum bardi multa de Canone expungere; licuit Luthero, Calvino, Zwinglio; quis mihi licentiam denegabit? Saltem haereticus non evado, etsi contra sensum Ecclesiae meae receptissimum sive Arii, sive Socini, sive Manetis, sive Mahumetis in judicando partes teneam; scrutentur alii collegae mei veritatem sicut ego, & invenient sicut ego; etiam totum corpus Evangelicorum & Protestantium errare potest, sicut erraſſe constat, cum modo communiter in Ss. Librorum censum recipiunt Apocalypsim, Epistolas Judae, Jacobi,

Pauli

Pauli ad Hebraeos, aliasque Scripturae partes, quas primi cum Luthero Reformatores passim omnes repudiarunt. Certe alii rursum e Protestantibus negant fieri debere, ut scripturae Canon mutetur; uti Joannes Henricus Majus, Professor Theol. in Academ. Giessensi Dissert. 3 de modo consignati Canonis ubi ait: „ Ex Disputationi-„ bus Protestantium contra Pontificios patet, Ec-„ clesiae non licere Canonem sibi concinnare; sed „ Deo authori relinquendum hoc Privilegium esse.„ Idem sensit Joannes Frickius apud Ulmenses Theol. Professor in Comment. Theol crit. de cura Ecclesiae veteris circa Canonem S. Scripturae §. 3. qui inscribitur: Canonis divina origo. Idem Joannes Ensius in Bibliotheca sacra. Amstell. 1710. — Rideat Bahrdtius quantum potest, seque in ecclesia sua Protestantica id adsecutum gaudeat, quod exoptavit, scilicet libertatem conscientiae ac Theismi patrocinium. Rideat, non eos tantum, quos ipse recenset, commilitones nactum se fuisse, sed etiam alios de Ecclesia sua quam plurimos; uti Christianum Tobiam Dammium Berolinensem, Tœllnerum & Steinbardium Francofurtenses ad Viadrum, Lüdkium, Spaldingium, Bassedovium, Eberhardum, Lessingium, aliosque ejusdem farinae, homines incredulos, rerum novarum Studiosos, suisque scriptis de Christiana republica pessime meritos.

§. CIII.

§. CIII.

Nos etiam Romano-Catholicos ad risum commovet, at simul dolet isthoc Protestantium inter se vitilitigium. Finis est igitur Lutheranismo & Calvinismo! plaudant Catholici. Sed progressus maximus est Theismo ac Tolerantismo! Doleant. Certe Bassedovius & Pideritius, Doctissimi Protestantes, hocce periculum suae Sectae imminens, sine quidem spiritu prophetico ipsimet prospiciunt, deque eo solicite suos admonent. Verum qui haec tristia Pseudo-Reformatorum monimenta conspicimus, unice verae Ecclesiae nostrae, quae ex tot haeresibus illam infestantibus pulchrior semper ac nobilior eminet, laudes nectamus, & encomia. „ Conditio enim praesentium temporum etiam hanc admonitionem provocat nostram, non oportere nos mirari super haereses istas, sive quia sunt; futurae enim praenunciabantur: sive quia fidem quorumdam subvertunt; ad hoc enim sunt, ut fides habendo tentationem habeat etiam probationem. „ (m) — Non timet sibi Ecclesia Catholica juxta promissionem Christi in aevum permansura; extollat licet saevus coluber perfidiae Theisticae caput, inconcussa stabit illa semper. *Est domus aedificata supra petram, & descendit pluvia; & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in illam domum, &*

(m) L. de Praescript. c. 1.




& non cecidit; fundata enim erat supra firmam petram. (n) „ Ex tunc & deinceps non defuit „ genus Christianum, nec fides de terra, nec „ charitas de Ecclesia. — Nec verbositate Phi- „ losophorum, nec cavillationibus Haereticorum, „ nec gladiis Persecutorum potuit ista, aut poterit aliquando separari a charitate Dei, quae est „ in Christo Jesu. „ (o)

(n) Matth. 7. v. 25.

(o) S. Bernardus sup. Cantic. c. 3.

O. A. M. D. Gl.



PO-

POSITIONES
Ex Theologia universa.

Deus unus ac trinus.

I. Eos, qui dicunt in corde suo: non est Deus, plane desipere, aspectabilis hujus mundi machina luculenter ostendit,

II. Ut adeo Entis cujusdam summi existentia ab homine rationis compote ad longius saltem tempus sub omni praedicato Divino sine culpa nequeat ignorari.

III. Porro si Deus est, unicus sit necesse est; ex ipsa enim hoc Entis summi notione patenter desumitur.

IV. Ex eodem principio fluit, Deum independentem prorsus esse, sibique soli sufficientissimum;

V. Nullos igitur, quos Sociniani & Vorstius Calvinista fingunt, perfectionis habet limites, nullos temporum aut locorum terminos:

VI. Ab aevo in aevum semper idem sine ulla mutatione perseverat;

VII. Cumque haec omnia per identitatem habere melius sit, quam per compositionem quamlibet aut unionem, Deo detrahunt, qui omnimodam ei simplicitatem inesse negant;

VIII.



VIII. Atque perfectionem hanc Dei splendidissimam tametsi nec caeci Antropomorphitae, nec lusci viderint Abbas Joachimus & Gilbertus Porretanus: Agnoverunt tamen Melito Sardensis, Epiphanius cum Patribus ceteris, unicum forte, neque hunc certo. Tertullianum si demas.

IX. Commendatissima inter perfectiones Divinas in scripturis occurrit praescientia, & futurorum etiam contingentium praevisio infallibilis,

X. Sine quidem humanae libertatis dispendio; *sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic DEUS praescientia sua non cogit facienda esse, quae futura sunt.*

XI. Ineptiunt porro cum Libertinis Haeretici, qui praescientiam aut libertatem ideo praecise negant, quod utramque mathematice, ut ita loquar, inter se combinari non cernant.

XII. Nec minus in Ss. Paginis fere singulis divina nobis misericordia commendatur, quam nobis practice monstrat voluntas Dei seria salvandi omnes homines,

XIII. Quae ad parvulos etiam se extendit sine baptismo denatos, pro quibus paucorum dierum hominibus etiam mortuus est Christus.

XIV. Est porro haec voluntas salvandi omnes etsi justa respectu omnium, non aequalis tamen;

XV. Hinc certorum duntaxat hominum datur praedestinatio, quam cum Augustino recte dicas praescientiam & praeparationem beneficiorum Dei,

qui-

quibus certissime liberantur, quicunque liberantur;

XVI. Et est efficax omnino, infallibilis, & immutabilis.

XVII. Praecipue vero huc referendum est Ss. Trinitatis mysterium, circa quod frustra laborant ostendere repugnantiam Sabelliani, Tritheitae, Sociniani, ceterique Trinitatis hostes;

XVIII. Deum enim uti unum in natura, ita trinum in personis esse, varie & invicte confirmatur;

XIX. Ex quibus non tantum Pater, sed & Verbum est verus Deus, ejusdem cum illo substantiae;

XX. Quem a Patre, & quidem solo procedere pridem definiverunt Nicaeni Patres, & Lateranenses;

XXI. Sed & Spiritus sancti divinitas tot Conciliorum oraculis in scriptura fundatissimis enunciata est, ut horrendae blasphemiae reus sit, qui negaverit;

XXII. Procedit autem ille a Patre & Filio, simul adorandus, conglorificandusque.

XXIII. Haec totidem dogmata, quot verba; ut adeo Semlerus, Arianam de Ss. Trinitate controversiam inter ecclesiasticas tantum quaestiones referens, ea confessione ulcus suum satis detexerit.



Angelus & Homo.

XXIV. Angelos esse aliquos in rerum natura contra Hermannum Riswichium & Libertinos novimus ex fide, & multis adparuisse scriptum legimus; nec inde dubitare fas nobis est.

XXV. Porro Angelus officii nomen est, non naturae. Quaeris nomen hujus naturae? Spiritus est; quaeris officium? Angelus est. Unde pure spiritualem esse naturam angelicam, contra Rudolphum Cudwortum, & quosdam Leibnitianos tuemur.

XXVI. Non tamen eam naturaliter vim habent Spiritus hi purissimi, ut occulta quaeque, futura, & mysteriosa ipsi pervideant.

XXVII. Praeter gratiae statum, in quo sunt conditi, libertatem a Deo acceperunt naturalem; prout lugubris malorum Angelorum lapsus in peccatum demonstrat,

XXVIII. Quem brevi post casus e cœlo secutus est, atque illorum ad inferos detrusio;

XXIX. Ubi tamen non sic eos detineri, quasi non habeant aliqui ex ipsis inde egrediendi facultatem, & continuo in terris vagentur, Apostolica fides docet,

XXX. Ex qua habetur, nedum ante Christi adventum, sed etiam post illum, infestationibus Daemonum exponi humanum genus tam in anima, quam in corpore ac fortunis;

XXXI.

XXXI. Unde ridemus authorem Daemonologiae biblicae, qui contra Scripturae apertos textus, contra unanimem Patrum ſenſum, erronee prorſus ac temerarie negare id auſus fuit;

XXXII. Sed & Semlerum Hallenſem temnimus authoris iſtius fautorem, qui doctrinam omnem de Daemoniacis in ſpeciali diſſertatione adorſus eſt, & cum Rouſſeauvio illud Geraſenorum de obſeſſis in Evangelio exemplum exſibilat, Ss. Patrum contemptor ac inſultator frivolus; & vel in hoc Martini Lutheri diſcipulus:

XXXIII. Nocere tamen daemon plus non poteſt, quam illi Deus infinite providus permiſerit; qui ſimul eo miſericors erga nos eſt, ut cuilibet peculiarem deputet cuſtodem Angelum: nec ab hac gratia probabilius excludat infideles ipſos ac reprobos.

XXXIV. Angelo dignitate ſuccedit Homo, qui inſita ſibi a natura propenſione in beatitudinem fertur. Atque id dolendum maxime, quod dignitatis ſuae oblitus in tranſitoriis plerumque bonis ſuam reponat felicitatem;

XXXV. Cum tamen anhelare deberet Deum, in patria per intuitivam illius viſionem & amorem fruitivum pacifice poſſidendum.

XXXVI. Et mirum quod hominum corda nec cœli gaudiis moveantur, nec inferni deterreantur ſuppliciis; cum tamen & haec, & illa perpetuo & absque ullo fine duratura, fides doceat:



iſtaque de aeternitate veritas nec ipſos adeo ſic dictos Spiritus fortes eſſe quietos permittat;

XXXVII. Scilicet abeſſe optant infernum, quo liberius in ſceleribus volutentur: ſicut cum Baſilide antiquo haeretico & Sadducaeis abeſſe volunt corporum reſurrectionem; quae tamen nimis certo & evidenter ventura in Scripturis praedicitur,

XXXVIII. Et quam Chriſtus reali ſua, veraque poſt mortem reſurrectione, tot ante ſeculis, poſſibilem eſſe monſtravit; incaſſum huic myſterio Theiſtis obſtrepentibus, qui in carne Chriſtum amplius nolunt credere, tametſi inſignia adeo dentur momenta, quanta vix pro alio religionis myſterio reperies.

XXXIX. Interea usque ad extremum judicii diem homines, quibus adhuc luendum de culpa levi, vel poena ex peccatis reſidua ſupereſt, ad eum amandantur locum, qui aptiſſimo, & diuturno Eccleſiae uſu conſecrato nomine Purgatorium contra Sectarios dicitur;

XL. Ubi cum plene purgatae fuerint animae, ſtatim ad cœleſtem admittuntur beatitudinem, ſicut illae poſt mortem illico cœlum conſcendunt, quae amplius nihil habent, quod luant;

XLI. Teſtantur veritatem hanc tot Beati, quos Eccleſia in Sanctorum retulit numerum; quibus cultum publicum, honoreſque deferri tanto magis licet, quanto etiam fide divina credi poteſt,

eos

eos rite canonizatos in cœleſti cum Deo gloria exiſtere.

XLII. Ad beatitudinem vero gloriamque illam aeternam homo enititur, & ab eadem deflectit per humanos actus, quorum tamen eſſentia ſecum vehit, ut voluntarii ſint, liberi, atque morales;

XLIII. Voluntarii autem non ſunt, ſi ponantur ex ignorantia prorſus invincibili, qualis dari non tantum circa facta, ſed etiam circa leges & jura poteſt; in ipſis adeo praeceptis naturae remotioribus.

XLIV. Neque moraliter liberi ſunt actus, niſi qui procedant ab indifferentiae libertate; quae contra haereticos tam eliquata eſt veritas, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.

XLV. Regulam porro moralitatis proximam, ſicut aliam non dicimus, niſi conſcientiam noſtram practice judicantem: ita remotam in aeterna Dei lege reponimus;

XLVI. Impie contra id, & incaſſum ſentiente Hobbeſio, qui honeſti atque inhoneſti regulam in humani Legislatoris praeceptis, principumque voluntate repoſitam cupit.

Lex aeterna & naturalis.

XLVII. Porro ſicut moralitatis, ita omnis pariter juſtae legis norma & radix eadem lex aeterna Dei eſt,

XLVIII.

XLVIII. Quae in ſenſu latiore ſumpta ea dicitur, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima: in ſenſu autem ſtrictiore & huc magis conveniente eſt primum illud & generale principium: praeſta, quod debes.

XLIX. Ab hac lege robur ſuum, & formalem obligandi vim accipit Lex naturalis, eſſentialiter immutabilis, quae officia quaelibet Deo, ſibi, & proximo debita moderatur.

L. Ab hac item Leges poſitivae omnes quoad ſuam vim & energiam dependent; illaque efficit, ut parere humanis etiam Legislatoribus teneamur, tam Eccleſiaſticis, quam Politicis.

LI. Et quam pulchre non conſulit bonis corporis, fortunae, & famae? Praeſta, quod debes Deo, tibi, & proximo;

LII. Non ergo involes in jus Dei, ſupremi vitae necisque Domini, ut te ipſum interimas, quantumcunque evitare temporale incommodum perinde poſſes;

LIII. Non occidas proximum, conſentientem licet, niſi tibi tanquam perſonae publicae in corpus alterius jus ſuum Deus commiſerit;

LIV. Authoritate privata alteri homini vitam nunquam adimas, niſi cum is adgreſſor iniquus vitae tuae eſt;

LV. Quantorumlibet bonorum defenſio, ſive fortunae, ſive famae, ſive denique pudicitiae fue-

rint,

rint, privato tibi jus gladii non conceditur ad necem altetius;

LVI. Ut adeo duellorum licentia, praeterquam quod ineptum per se illa medium sint, etiam tunc effrœnis maneat, quando agitur de servandis cum honore fortunis;

LVII. Sed nec forniceris; nam data divinitus matrimonii indissolubilis lege, fornicatio omnis accessus est ad non suam, jure naturae eodem modo prohibitus, sicut furtum facta rerum divisione.

LVIII. Nec obstat, si quacum forniceris, persona consentiat; neque enim haec cedere potest jure, quod a Deo non habet; sicut fere pupillus, quae ad ipsum spectant res, arbitrarie in contractum dare alteri non potest;

LIX. Rursus alte fata lege illa aeterna Dei contrectare prohiberis aliena fortunae bona: vel ubi contrectaveris, denuo reddes; sub obligatione gravi quidem, si quantitatem notabilem vel simul, vel per partes advertenter tulisti;

LX. Sub levi autem, quando levem furatus es rem; aut de se gravem quidem, at ex culpa tantum levi accepisti, & plane jam absumpsisti;

LXI. Quidquid enim forte sentiant alii, nos intrepide adfirmamus tanquam legi naturae conformius, grave damnum levi culpa datum debere quidem totum reparari, ita tamen, ut haec totum reddendi obligatio culpae aequalis, id est, nonnisi levis existat;

LXII.

LXVIII. In ipſam ſtatim gratiae notionem turpiter impegerunt Lutherus & Bajus, integrae naturae decora hominibus debita adfirmando.

LXIX. Dum vero celebre iſthoc gratiae exemplum in protoparentibus admiramur, dolenter ſimul agnoſcimus, quid ſtante illa potuerit humanae voluntatis arbitrium.

LXX. Quandoquidem in peccatum prolapſae primae illae divinarum manuum creaturae, Adam & Eva, non ſibi tantum ſolis nocuerunt, ſed ut Tridentinum ait, acceptam a Deo juſtitiam & nobis perdiderunt, qui omnes ſcriptura teſte in peccato concipimur.

LXXI. Neque aliquid ſolantur calamitatem noſtram Socinus, Joannes Clericus, & Hugo Grotius; etſi enim AUGUSTINO vade nihil antiquo peccato ad intelligendum ſecretius ſit: nihil tamen eodem ad praedicandum eſt notius. Rei ſumus; in Adam omnes peccavimus;

LXXII. Neque ab hac labe immunes ſe arbitrentur Praeadamitae, quorum perniciofam fabulam poſt Jordanum Brunum Iſaacus La Peyrere Calvinianus recoxit; hominum enim nullus fuit unquam, qui ab Adamo non deſcenderet.

LXXIII. Solam itaque praeter Chriſtum exceptam volumus a peccato Beatiſſimam Virginem, quam ne uno quidem momento agnoſcimus fuiſſe ſervam diaboli; & licet Eraſmus Rotterodamus hanc de immaculata Conceptione quaeſtionem ſu-



perfluam judicaverit, altum tamen clamamus cum eruditiffimo Idiota: *Immaculata Virgo, in qua macula peccati five mortalis. five venialis, five originalis, nec eft, nec erit, nec unquam fuit!*

LXXIV. Certe poftquam cultu publico immaculatam Virginis conceptionem profequitur ecclefia (ufus eft S. THOMAS hoc argumento ad tuendam fanctam Virginis nativitatem) filentio aeterno involvatur contraria, & jam antiquata opinio, cujus tenebras Spiritus S. difpulit, etfi nondum ita plene ac perfecte, ut quaeftio fit in fidei luce.

LXXV. Nos vero ceteri homines per originale peccatum usque adeo fumus vulnerati, ut fupernaturalis reparatrix gratia omnibus neceffaria fit ad falutem:

LXXVI. Atque eadem quidem ad omnem actum falutarem, ac ad ipfum fidei initium, & pium credulitatis affectum requiratur; uti contra haereticos ab Ecclefia definitum eft.

LXXVII. Quin & hujus neceffitatem gratiae non modo ad facienda bona, fed ad cavenda etiam mala fic extendimus, ut ne legem quidem naturalem integram, illius deftituti auxilio, diutius obfervare poffimus;

LXXVIII. Abfit vero, ut perinde cum Bajanis loquamur, liberum hominis arbitrium fine gratia DEI nonnifi ad peccandum valere, adfirmantibus.

LXXIX.

LXXIX. Dari autem poſt originalem etiam caſum vere, relative, mere tamen ſufficientem gratiam, evidentiſſimum ſcripturae dogma eſt; quod tot tamque acerbae Judaeis, incredulis, & peccatoribus intentatae minae, & exprobationes commonſtrant;

LXXX. Neque illa juſtis ad perſeverantiam deeſt, uti tenet Eccleſia contra Janſenium, qui nullibi apertius prodit virus, quam cum ſcribit: S. PETRI exemplo, aliisque multis, quotidie manifeſtum eſſe, tentari ultra, quam poſſint ſufficere.

LXXXI. Neque haec DEI beneficentia ad ſolos reſtringitur juſtos, & praedeſtinatos; etiam peccatoribus ſimilia gratiae auxilia ad agendam pœnitentiam opportuno tempore elargitur.

LXXXII. Porro in ipſa ſtatim gratiae ſufficientis notione cum errent Lutherus, Calvinus, & Janſenius, quid mirum, ſi de gratia — etiam efficaci hallucinentur?

LXXXIII. Priores quidem duo de ſtiva homines ſyſtema gratiae nonniſi cum palpabili libertatis humanae praejudicio conceperunt; humana inquiunt, voluntas in medio poſita eſt, ceu jumentum: ſi inſederit Satan, vult & vadit, quo vult Satan: ſi inſederit DEUS, vult & vadit, quo vult DEUS;

LXXXIV. A qua ſane doctrina ideo ſolum differt Janſenius, quod ad efficaciam gratiae deſcribendam non e ſtabulo, ſed ex officina ſumpſerit

rit

rit paritatem, notiſſima ſcilicet ſua bilance fucum faciens.

LXXXV. De qua hactenus, gratia actualis ordinatur ad habitualem ſeu ſanctificantem; ſine qua in vanum gloriantur Sectarii de fide ſua ſpeciali promiſſionum, veluti ſola juſtificante: in vanum de juſtitia Chriſti ab extraneo imputata.

LXXXVI. Sicut absque hac gratia de condigno vitae aeternae meritoria opera noſtra non ſunt: Ita praeſente illa mereri omnino coronam juſtitiae poſſumus, quam reddet nobis DEUS in illa die juſtus Judex.

Chriſtus Reparator.

LXXXVII. Per Chriſtum vero duntaxat ad ſalutem nobis aditus patet, quem ut pium omnium Samaritanum adveniſſe praecipuum Religionis dogma eſt; ſic autem de illo diſcurrimus:

LXXXVIII. Propria poſt mortem virtute ſurrexit JESUS Nazarenus: ergo incarnatus eſt DEUS. Nemo amplius niſi vel imprudenter, vel impudenter contra hanc illationem excipiat;

LXXXIX. Maxime cum idem Chriſtus verum ſe DEUM eſſe, centies teſtatus ſit; atque teſtimonium hoc fide ſaltem tanta digniſſimum eſſe, agnoſcere Theiſtae debeant, quantam hiſtoria undequaque certiſſima promeretur;

XC. Cumque eosdem prorſus caracteres in Chriſto deprehendi, eadem perhibeat hiſtoria Evangeli-

gelica, qui in sacris veteris testamenti libris de Messia futuro exprimuntur; excaecationi Judaeorum duntaxat adscribendum, si Christum verum esse Messiam negent.

XCI. Hoc certe aliae adhuc persuadere ipsis deberent notae, ac circumstantiae, quas varia produnt vaticinia in alio nemine, quam in Christo completa;

XCII. Hoc Patriarchae Jacobi percelebre vaticinium: hoc notissima Danielis Prophetia prae ceteris commonstrat.

XCIII. Procul hinc igitur, procul este prophani! Christum esse verum Messiam, historice saltem certissimum est: ut quis ergo amplius audeat, elato supercilio vel incarnationis impugnare convenientiam, vel possibilitatem arrodere?

XCIV. Cum itaque Messiae, seu Christi divinitatem totae personent utriusque Testamenti paginae; justissime prorsus a Nicaenis Patribus contrita fuit Arianorum insania; & cum his Laelius & Faustus Sociniani, Theistaeque moderni pridem sunt praedamnati.

XCV. Sed & vera Christi humanitas contra Haereticos alios constanter fuit, invicteque per Ecclesiam vindicata; ipseque pridem Christus discipulis suis ad videndum se & palpandum exhibens, illos Phantasiastas confutavit;

XCVI. Verbum igitur caro factum est; non quod caro sine anima, & verbum loco animae fuerit;

rit; ſed veram animam, veramque carnem Chriſtus aſſumpſit;

XCVII. Iſtamque non aliunde, non de nihilo, ſed materna traxit ex carne; *miſit* enim *DEUS Filium ſuum factum ex muliere;*

XCVIII. Ex quo tamen ſcripturae loco nonniſi ſacrilege intulit Ebion, Chriſtum communi ceterorum hominum more conceptum fuiſſe: Nam incarnatus ille fuit de Spiritu ſancto;

XCIX. Jovinianus item peſſime concluſit, Chriſtum ex muliere, adeoque non ex Virgine natum; hunc enim prius Iſaias erroris convicit: *Ecce Virgo concipiet & pariet;*

C. Sicut etiam Helvidium Virginitatem ſaltem poſt partum inique denegantem uno ore abominantur Ss. Patres, qui tanquam fontem illum ſignatum, hortum concluſum MARIAM depraedicant.

CI. Ulterius filii, matrisque honorem laeſit Neſtorius, qui & haereſeos legitime poſtulatus, & ab Epheſina ſynodo canonice fuit damnatus; quidquid poſt tredecim ſecula Basnagius, Albertinus, aliique Calviniana faece ebrii in contrarium muſſitent, queis accedit ſectae Proteſtanticae recens oraculum Laurentius Moshemius.

CII. Itaque & unam in Chriſto perſonam, & Beatiſſimam Virginem MARIAM veram DEI Matrem, atque θεοδοκον fide firma tuemur; neque mox dictum patimur Moshemium, qui aequis ait,

diſce-

disceptari armis posse, uter pejus de re Christiana senserit, Cyrillus, an Nestorius?

CIII. Sed & Eutychen vecordem illum ac bardum senem a Chalcedonensi synodo legitime condemnatum profitemur, duabusque in Christo naturis inconfusis, & sublata nusquam differentia impermixtis fideli manu subscribimus;

CIV. Et licet Eutychetis haeresin Monothelitae recoxerint, unam nonnisi voluntatem ac operationem in Christo adstruentes; contra tamen fortissime decertarunt Romanum & Constantinopolitanum tertium Concilia, in quibus duplex Christi voluntas fuit definita;

CV. Confectarium modo est; cum una in Christo detur persona, natura duplex, atque voluntas, dari quoque mutuam proprietatum communionem;

CVI. Non sic tamen, ut etiam in abstracto locum habeat; prout liberaliter nimium faber Stapulensis cum Luthero, Brentio, & omni Ubiquistarum grege tuetur;

CVII. Omnes itaque honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Omnes una adoratione Verbum incarnatum cum propria carne adorent. Supremum latriae cultum, qui negaverit Deo Homini, anathema sit;

CVIII. Cultum vero Duliae sanctis adserimus cum Christo regnantibus; eosque invocari a nobis convenienter posse citra ullum divini Mediatoris praejudicium firmiter credimus, CIX.



CIX. Meritoque profitemur cum Tridentino, Sanctorum imagines asservandas, eorumque reliquias esse venerandas;

CX. Neque Lutheranos curamus, aliosque Sectarios, qui extinctam Iconoclastarum haeresim rursus e cineribus suscitarunt, frustra de Francofordiensi Concilio, aut libris Carolinis pro se gloriantes.

Religio & Ecclesia.

CXI. Veram aliquam dari debere Religionem, Atheus nisi fuerit, nemo negat;

CXII. Ex vera autem religione illico concludimus ad existentiam revelatae, quam insanissimus Theistarum grex toto cupit orbe eliminatam;

CXIII. Cumque revelata evidenter possit esse supernaturalis, hinc in meridie caecutiunt, qui e religionis revelatae, veraeque censu illam excludunt, quae supernaturalia continet; eo praecise ex capite, quod ea supra humanum captum sint;

CXIV. Facessant igitur increduli, legem imprimis veterem Hebraeorum vel tanquam malam criminari, vel conviciari tanquam superfluam, cum illa sui authorem habeat Deum revelantem,

CXV. Facessant ex variis Patriarcharum & Prophetarum factis aliquam illi maculam adspergere, aut ejus divinitatem impetere, imitantes quoad hoc Faustum, & Adimantum, quos pridem depexos dedit S. Augustinus;

CXVI.

CXVI. Porro cum lex illa vetus de ſe centies teſtetur, fore aliquando per Meſſiam in perfectius commutandam, ac adimplendam, cumque verum Meſſiam eſſe Chriſtum alibi luculenter demonſtretur; ideo infallibiliter quoque certum eſt, de facto religioni Judaicae aliam eſſe ſubſtitutam;

CXVII. Haud ſane aliam, niſi chriſtianam, pro cujus ſolius credibilitate evidenti tanta depugnant rationum momenta, ut eorum luminibus nec Jac. Rouſſeau, nec Voltaire, nec alii quidam Angli Blountus, Bolingbrokius, Tintalus & Morganus obſtruere poſſint:

CXVIII. Cum autem haec religio & unice ſalvificam, & perpetuam, & ſemper viſibilem ſe manere adteſtetur; ecquis de perpetua ejusdem viſibilitate, qua durat in Eccleſia ſemper viſibili, amplius dubitet?

CXIX. Quodſi durat in Eccleſia viſibili, dari Notas quasdam & characteres oportet, ex quibus diſcerni ab omnibus ipſa haec Eccleſia valeat;

CXX. Quid vero obſtat, quo minus in illas quatuor Notas compromittamus, quas Concilium Conſtantinopolitanum I. recenſet, Unam vocans veram Chriſti Eccleſiam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam?

CXXI. Prodeant jam Theiſtae nedum, ſed Haeretici, & oſtendant, ubinam omnes hae quatuor Notae ſimul ſumptae adhuc reperiantur, niſi apud ſolam Eccleſiam Romano-catholicam?



CXXII. Igitur evidenter credibile esse conficitur, Solam hanc esse, quae veram Christi religionem sartam tectam habeat, colat, atque conservet; atque ideo sola Ecclesia Romano-Catholica prae ceteris, utcunque se Christianas jactitent, credenda est ac sectanda.

CXXIII. Porro cum ii, qui illam ingrediuntur & sectantur, certam ac infallibilem habere debeant credendorum regulam.

CXXIV. Neque de hac regula fidelibus aliunde, nisi ex declaratione hujus ipsius Ecclesiae, constare certo & infallibiliter possit:

CXXV. Necesse est, ut Ecclesia Romano-Catholica infallibilis Magistra sit in proponenda & adplicanda hac fidei regula;

CXXVI. Cumque illa tanquam adaequatam fidei regulam proponat tum S. Scripturam, tum etiam divinas traditiones.

CXXVII. Hinc omnia, quae in Verbo Dei seu scripto, seu tradito continentur, a fidelibus credenda sunt juxta sensum sanctae Matris Ecclesiae:

CXXVIII. In qua cum Christus infallibilem quemdam circa fidei & religionis controversias judicem constituerit,

CXXIX. Qualis tamen judex scriptura ipsa, Traditio, spiritus privatus neque seorsim, neque simul esse possunt:

CXXX. Illa ipsa Ecclesia, sicuti Magistra, ita etiam est controversiarum fidei & religionis judex infallibilis,

CXXXI.

CXXXI. Puta, tam in decidendis fidei quaestionibus, ob suam unitatem; quam in condendis morum decretis ad generalem totius Ecclesiae disciplinam spectantibus, ob suam sanctitatem;

CXXXII. Et quidem sive in oecumenico concilio congregata, sive per orbem dispersa consenserit, infallibili eadem docendi, judicandive potestate potitur;

CXXXIII. Ita tamen, ut haec potestas in Ecclesia solis privative Episcopis de jure ordinario competat; nullatenus vero populo aut Principibus laicis, quos non nemo haud ita pridem ut Patres proposuit, Episcopos vero tantum ut Moderatores.

CXXXIV. Hoc equidem verum, Episcopos illam decidendi facultatem cum subordinatione non nisi erga Romanum Pontificem obtinere;



CXXXV. Soli quippe Petro Primatus verae jurisdictionis competebat in universam Ecclesiam;

CXXXVI. Qui cum alium in Primatu Successorem constituere ex lege Christi fundamentali debuerit, Romanum determinavit Episcopum, cujus in rebus fidei ac morum potior est consensus prae ceteris omnibus per orbem Episcopis;

CXXXVII. Ita ut horum judicium sive intra, sive extra Concilium consentientium sine illius consensu finale ac supremum non sit;

CXXXVIII. Ocyus autem finale ac decisivum fiat consentiente Papa, sive plures sint, qui eidem adhaereant, sive multi, sive pauci;

 CXXXIX.

CXXXIX. Sicut tamen aliquos Episcopos sibi consentientes habere Pontifex semper debet, ut finaliter judicet: ita vi ipsius promissionis Christi metaphysice implicat, ut decretorium Papae judicium in caussa fidei vel morum generalium usque adeo sit singulare, ut omnibus prorsus Episcoporum suffragiis sit destitutum;

CXL. Heinc dicere, quod Pontifex e Cathedra loquens erraverit hactenus, vel errare possit, est dicere, quod vel decepta fuerit, vel decipi possit in rebus fidei & morum una, sancta, & universalis Ecclesia;

CXLI. Cujus utpote fideles Decretis Romanae Sedis finalibus ut quamprimum pareant, jure divino strictissime sunt obligati.

Sacramenta in genere.

CXLII. Dantur in Ecclesia verae religionis pignora, nimirum Sacramenta. Est autem Sacramentum novae legis signum visibile invisibilis gratiae a Christo Domino permanenter institutum, per quod non significetur tantum gratia, sed producatur;

CXLIII. Unde istam Sacramenta ex opere operato conferunt, quod quidem cum Sectariis aliis negat Lutherus, omnem sacrorum signaculorum vim soli fidei in verbum promissionis erronee tribuens;

CXLIV. Ex quo falsissimò principio alter consequitur eorundem error, quo in administratione

Sacra-

Sacramentorum verba requirunt concionalia, cum tamen ea consecratoria esse oporteat.

CXLV. Nunquam vero minus sibi constant Sectarii, quam ubi agitur de Sacramentorum numero. Nos secundum avitam Ecclesiae tum graecae, tum latinae traditionem contra Lutheranos, Calvinianos, & Zwinglianos septem statuimus;

CXLVI. Ex quibus tria sunt, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quae Characterem imprimunt indelebilem, inter novella commenta scholastica inique prorsus a Kemnitio relatum.

CXLVII. Tribus autem singula perficiuntur Sacramenta, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione Ministri; ubi de ultima praesertim Sectarii a Catholicis dissident;

CXLVIII. Nam cum Catholici ad Sacramenti valorem seriam in Ministro requirant intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, Martinus Lutherus fictam etiam & mimicam Sacramentorum administrationem probat.

CXLIX. Eo etiam extendimus intentionis necessitatem, ut externam solum absque interna contra Catharinum & Serrium adseramus nequaquam sufficere.

XL. Fides vero ad Sacramenti valorem in Ministro non requiritur, uti pridem in caussa SS. Cypriani, & Firmiliani universa definivit & agnovit Ecclesia;



CLI. Multo minus ad eumdem valorem requiri Ministri probitatem, id est, sanctitatem, sive statum gratiae contra Waldenses, Albigenses, Wiclephitas ac Anabaptistas defendimus.

CLII. Porro facultatem ministrandi omnia Ecclesiae Sacramenta baptizatis omnibus esse concessam, nullo sane fundamento contendit Lutherus ad eam omnino insaniam prolapsus, ut ipsi etiam diabolo fecerit celebrandi & absolvendi copiam.

Sacramenta Mortuorum.

CLIII. Primum inter Sacramenta spectando ordinem est Baptismus, cujus indeclinabilem vel in re, vel in voto necessitatem abunde docet vel unum illud oraculum Divinum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum DEI;*

CLIV. Ex quo recte intulit Augustinus: Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur, morte praeventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus;

CLV. Recte item Origines docet, quod Ecclesia inde traditionem ab Apostolis acceperit etiam parvulis dandi baptismum, quam vel ipsi Protestantes traditionibus tantopere inimici coguntur admittere;

CLVI. Unde nec probamus Cajetani sententiam, quae tenet, parvulos sine baptismo denatos salvari fidelium parentum fide posse.

CLVII.

CLVII. Materia Baptiſmi ſicut eſt omnis & ſola aqua naturalis: ita ad validam ejusdem formam requiritur expreſſa & diſtincta invocatio perſonarum SS. Trinitatis: unde vel nunquam valuit, vel certe nunc amplius non valet Baptiſmus in ſolo JESU nomine collatus.

CLVIII. Alterum Mortuorum Sacramentum eſt Poenitentiae omnibus poſt baptiſmum graviter lapſis, & ipſum vel in re, vel in voto neceſſarium:

CLIX. Ex parte poenitentis contritionem cordis, Confeſſionem peccatorum, & ſatisfaciendi animum: Ex parte vero Sacerdotis abſolutionem ex ipſa Chriſti voluntate ſanctiſſima requirens.

CLX. In hoc igitur Sacramento Chriſtus Eccleſiae ſuae conceſſit poteſtatem vere remittendi peccata, eamque univerſalem, cum Apoſtolos, eorumque in munere Succeſſores, ſui ipſius Vicarios reliquit tanquam Praeſides & Judices;

CLXI. Quod quidem judicium cum ſine Confeſſione peccatorum diſtincta fieri haud poſſe palam ſit, Eccleſia catholica ex traditione ſemper agnovit, Confeſſionem illam jure divino eſſe neceſſariam;

CLXII. Ut adeo diſtinctae Confeſſionis uſus primis jam inde ſeculis ad nos derivatus fuerit; non inſtitutus primum ſeculo decimo tertio ab Innocentio, ut fabulatur Dallaeus: neque abrogatus a Nectario, ut Calvinus Dallaei Magiſter contendit;

CLXIII. Atque ut omnis cavillandi occasio Sectariis praecludatur, non distinctam modo, sed secretam etiam & auricularem, ut vocant, soli factam sacerdoti in usu semper fuisse, ex perspicuis Veterum monumentis ostendimus.

CLXIV. Falluntur tamen illi, qui sola confessione contenti, contritionem parum curant; fuit enim quovis tempore contritionis motus ad poenitentiam summe necessarius;

CLXV. Extra Sacramentum quidem ea solum, quae ex amore DEI perfecto procedit, infallibiliter justificat contritio & requiritur;

CLXVI. Intra Sacramentum vero saltem imperfecta adsit, necesse est, puta talis, quae initialem DEI amorem secum vehat, & quidem benevolum:

CLXVII. Nec enim amor merae concupiscentiae sufficit, nec adtritio ex gehennae & pœnarum metu concepta practice tuta est,

CLXVIII. Tametsi ista actus ceteroqui bonus, honestus, ac laudabilis sit, voluntatemque graviter peccandi possit excludere.

CLXIX. Licet per Sacramentum hoc valide susceptum unacum culpa etiam aeterna remittatur poena, valde tamen acerbus debet esse dolor, dispositio poenitentis admodum fervida, siquis omnem sibi poenam temporalem remitti velit;

CLXX. Unde denuo in acceptis Christo referre maximopere debemus, quod infirmitatem

no-

noſtram volens ſublevare, Eccleſiae ſuae Indulgentiarum poteſtatem conceſſerit,

CLXXI. Quarum uſum continua Eccleſiae praxis confirmat; quaeque Chriſtiano populo ſunt maxime ſalutares, & vivis per modum abſolutionis: defunctis ſaltem per modum ſuffragii fructificant.

Sacramenta Vivorum.

CLXXII. Auguſtiſſimam Euchariſtiam illi ſolummodo verum negant eſſe Sacramentum, qui in ſcelerum luto volutati, & ſiliquas cum porcis vorantes, nolunt ſanctiſſimo Agni immaculati corpore & ſanguine ſaginari;

CLXXIII. Nam in diviniſſimo hoc Sacramento Chriſtum vere, realiter, ac ſubſtantialiter non tantum in ſigno ac figura, aut per energiam praeſentem eſſe, contra Sacramentarios tum verba promiſſionis, ac inſtitutionis, tum avita traditio luculenter demonſtrant;

CLXXIV. Praeſens igitur eſt Chriſtus totus, ac integer, non, ut Novatores ſomniant, una cum panis & vini ſubſtantia, ſeu per impanationem, ſed per mirabilem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti (remanentibus duntaxat ſpeciebus) converſionem, quam aptiſſime transſubſtantiationem appellat Eccleſia.

CLXXV. Eſt autem Chriſtus totus ſub panis, totus item ſub vini ſpeciebus; unde iis, qui non



ſacrificant, utramque ſpeciem neque neceſſitate Sacramenti, neque praecepti divini eſſe neceſſariam, agnoſcere deberent Sectarii, ni jam primitivam Eccleſiam in re ſummi momenti turpiter erraſſe velint;

CLXXVI. Porro Euchariſtia non tantum eſt Sacramentum, ſed & verum ac proprium ſacrificium, quod in Miſſa DEO offertur. In ſacrificio hoc incruento Chriſtus, qui eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, id eſt, & Sacerdos ſuae victimae, & victima ſui Sacerdotii, uti S. PAULINUS obſervat.

CLXXVII. Alterum Vivorum Sacramentum eſt Confirmatio, per quam baptizatis Spiritus S. gratia confertur tum ad firmiter credendum, tum ad ipſam fidem intrepide profitendam, ut contra Novatores, maxime Dallaeum Calviniſtam, Scriptura oſtendit authoritate Conciliorum, & Patrum declarata.

CLXXVIII. In maxima virorum graviſſimorum diſſenſione circa materiam hujus Sacramenti nobis veriſimilior videtur ſententia, quae tenet, materiam remotam eſſe Chriſma ex oleo & Balſamo confectum, & ab Epiſcopo benedictum: Unctionem vero Chriſmatis materiam proximam & adaequatam;

CLXXIX. Impoſitio manus autem, de qua in Scriptura & Patribus legitur, quod ab unctione diſtincta intelligi debeat, adeo non probatur, ut in-

diſtin-

distinctam potius intelligamus cum INNOCENTIO IIItio; per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio.

CXXXX. Sacramentum Vivorum tertium, & poenitentiae consummativum est Extrema Unctio, quae, prout juxta ritum Ecclesiae Catholicae administratur, verum est Sacramentum a Christo Domino institutum,

CLXXXI. Ut delicta, siquae adhuc sint expianda, ac peccati reliquias abstergat, & aegroti animam alleviet, & confirmet — — — & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequatur; verba sunt Tridentini Concilii.

CLXXXII. Adhibetur autem eo in Sacramento sanctum oleum, non tantum ab effectu ita dictum, sed etiam a benedictione, quam habet, quamque immerito ridet Calvinus, cum eandem exhibeant antiquissima latinarum Ecclesiarum Pontificalia, & Graecorum quoque Euchologium a Goario editum.

CLXXXIII. Extrema vero unctio inde adpellatur, quia inter unctiones in Ecclesia usitatas omnium postrema esse solet, nonnisi vere infirmis ad mortem conferenda; neque enim pro se quidquam lucrantur Calviniani ex Graecorum, non infirmos quoque ungentium consuetudine, quam Arcadius, ipse graecus, acriter insectatur; excusat autem Goarius, unctiones istas tantummodo ceremoniales dicendo.

CLXXXIV.



CLXXXIV. Ordo, quo nomine illa intelligitur consecratio, per quam stabilis potestas confertur ad exercenda munia Ecclesiastica, ac praecipue ad Sacramenta conficienda, est paritet novae Legis Sacramentum.

CLXXXV. Ut vero sacrum hoc ministerium dignius obeatur, sacris ministris, nimirum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis Ecclesiae latinae imposita est lex continentiae, in Ecclesia latina semper, in Graeca saltem primis seculis sancte servata, non quidem jure divino, at Apostolico & Ecclesiastico;

CLXXXVI. Et quamquam post Trullanam Synodum a pristinis moribus, legibusque desciverit orientalis Ecclesia; nunquam tamen ministris suis, aut post ordinationem ad nuptias convolare, aut Episcopis post consecrationem matrimonio prius contracto uti concessit.

CLXXXVII. Circa Subdiaconos non ita constans in Ecclesia disciplina & praxis viguit, uti de Subdiaconis Siciliae & Calabriae patet, quibus usum conjugii ante ordinationem contracti S. Gregorius M. permisit.

CLXXXVIII. Inanes vero sunt Lutheri, Calvini, & Protestantium criminationes, quibus legem continentiae carpunt, quasi naturali, divinoque juri contrariam; postquam & Christus & Paulus virginitatem tantis encomiis praedicarunt: Atque

Atque ante Clericatum omnibus liberum ſit, ut qui ſe non continent, nubant & in ſeculo remaneant.

CLXXXIX. Sicut vero Clerici a carnis illecebris, ita etiam a bonis fortunae eorum animus abſtractus eſſe debet: quamvis enim illos habere poſſeſſiones temporales tam licite, quam valide poſſe in comperto ſit;

CXC. Ita quidem, ut bonorum juſto titulo profano acquiſitorum perfecti fiant Domini, neque illa ex juſtitia erogare ullatenus in cauſas pias teneantur;

CXCI. In bonis tamen ſacro titulo acceptis, quantum ad ſuperflua, non majus habent dominium, quam haeres quiſpiam in legata pia Teſtamento inſerta:

CXCII. Quae proin tamdiu debent uſibus piis adplicare, quamdiu in particulari quodam caſu licentiam diſponendi ad uſus profanos Eccleſia (in quam fideles ſua bona offerentes liberam diſponendi facultatem ex aequo transtulerunt) ipſis non conceſſerit.

CXCIII. Septimum tandem Sacramentum eſt Matrimonium, quod ut magnum in Chriſto & Eccleſia ſemper celebratum eſt, cuique ſacram ſemper benedictionem adhiberi ſolitam fuiſſe, eccleſiaſtica demonſtrat traditio.

CXCIV. Hujus porro Sacramenti miniſtrum eſſe Sacerdotem, tanquam legitimum diſpenſatorem myſteriorum Dei, probabilior ſententia ſuſti-

net;

net; agit enim Sacerdos ut Minister Christi, ejusque nomine benedicit conjugibus, *quo*. ut ait S. Martyr IGNATIUS, *nuptiae sint secundum Dominum, & non secundum cupiditatem.*



EX THEOLOGIA POSITIVA

A. *Theses Prolegomenae.*

I Revelatae Religionis regula prima & norma est codex ille venerandus, quem graece ἁγια τα βιβλια, latine *Scripturam sacram* vulgo vocamus; atque contra Deistarum & Libertinorum impugnationes authenticam, id est, ab omni suppositionis suspicione immunem, vindicamus.

II. Cui authentiae non obstat, I^mo quod de quorundam sacrorum librorum *Auctoribus* dubitemus; de quorumdam vero Scriptoribus primis nihil omnino certi constare fateamur. Nec II^do quod Esdras soluta captivitate Babylonica sacros libros restaurasse, atque etiam *nova characterum* forma donasse dicatur. Uti nec III^tio quod in sacris voluminibus plurium librorum mentio fiat, quorum nullum jam superest exemplar. Nec denique obstant authentiae sacrorum voluminum IV^to alia, quae a revelatae ac proin omnis verae Religionis hostibus ex ipsa librorum istorum materia tela cuduntur.

III. Sacra igitur haec & summe veneranda Scriptura, sicut *ornatu & elegantia styli* nulli profanorum librorum cedit; ita *vetustatis* gloria, & *auctoris & rerum contentarum nobilitate*, & veritatis indeficientis praerogativa, omnes,

nes, quotquot fuerunt aut ſunt, libros longiſ-ſime ſuperat; quidquid in contrarium afferant, quos aut ignorantia intellectu, aut perverſitas ſeculi veri ſaporis guſtu privavit. Quibus

IV. *Exempli gratia* edicimus, omnia fere vel *Poeſeos* genera in divinis voluminibus ſuppetere, ita ut ne qnidem *Dramaticum*, imo nec *Idyllicum* praetermiſ-ſum ſit, nec *Epigrammaticum*; ſed neque illa elegentia excepta, quae a *pedum numeris* gratiam verſibus conciliare conſuevit. Quod *Eloquentiae* ſacrae vis uſque ad diviſionem animae, compagumque ac medullarum pertingat, Deum teſtem habemus.

V. Inter caeteras autem ſacrae Scripturae proprietates praecipue ſuſpicienda venit *Divinitas*, quam nullus *Error* exauctorat, nulla dehoneſtat *falſitas*, *antilogia* nulla dedecorat: Ita quidem, ut omnia in ſcripturis contenta ſint verum & merum Dei verbum. Ad quod tamen neceſſarium non eſſe putamus, ut omnes omnino propoſitiones vel omnino ſingula verba theographis immediate dictata eſſe dicantur; ſed ſufficere, ſi multa quidem vel pleraque verbo tenus dictata: aliqua tamen ſpeciali tantum impulſu & aſſiſtentia Spiritus ſancti ſcripta eſſe teneamus.

VI. Alia ſacrae Scripturae proprietas eſt mira ejusdem *obſcuritas*, quae tamen Divinitatis radiis adeo non obſiſtit, ut eos amabili ſimul & tremendo fulgore vel amplius colluſtret. Atque hoc ideo, quia obſcuritatis hujus Cauſſa non eſt dictantis infirmitas, aut ſcribentis imperitia malitiave; Sed rerum, quae ibi referuntur, *ſublimitas*; ſcientiarum, quae attinguntur, *vaſtitas*; & ſtupenda prae omnibus humanis literis *profunditas*.

VII. Porro profunditas iſta ortum habet ab admirabili ſacrarum Scripturarum *foecunditate*. Haec autem

conſi-



consistit in notissima illa & multiplici *sensuum varietate*; quos tamen omnes commode ad duo genera restringimus, *literalem* scilicet & *mysticum*. *Parabolicum* ad literalem referimus; mere autem *accommodatitium* seu commaticum ut a sacro textu alienum credimus, ita ejus usum a sacro maxime suggestu juste imus eliminatum.

VIII. Obscuritatis tenebras dispellit, mediante *gratiae* maxime *fidei* lumine, sacrae *Hermeneuticae* debita applicatio: quam vero qui paucis, ut Tychonius & multi alii, regulis comprehendi posse putant, parum se callere probant.

IX. Complexio omnium sacrorum librorum Ecclesiae auctoritate munita Κανων dicitur. Alius fuit *Esdrinus* in veteri; alius est *Ecclesiae Christianae* Catholicae in novo testamento, quem, quidquid obganniant Sectarii, recte constituit Concilium Tridentinum, septuaginta duobus libris constantem. Discrimen autem, quod aliqui faciunt, inter libros *Protocanonicos* & *Deuterocanonicos* nominale quidem, non vero reale agnoscimus.

X. Quoniam Deo verbum suum primitus consignari placuit *linguis* partim *hebraica*, partim *graeca* tantum; pauca vero etiam *chaldaica*, & non nulla fortasse etiam *arabica*, ut adeo non omnia ab Hagiographis conscripta omnibus gentibus usui communi esse possent; & multa nullis; Hinc Divina Providentia, quae *omnes* homines voluit in cognitionem veritatis venire, opportunis temporibus & locis excitavit viros, qui Originalia scripta in alias linguas transfunderent; Atque inde habemus *Versiones* varias tam *Orientales*, quam *Occidentales*, quibus fideliter, atque ad fontium sensum elaboratis eadem fides haberi debet ac fontibus; sicut & Apographis Scripturarum ad Authographorum fidem diligenter exactis.

XI.

XI. Inter complures *Versiones orientales* merito primas semper tenuit *Vulgata graeca*, quae A. M. circiter 3735; ante Christum fere 265. sumptibus Ptolomaei Philadelphi Regis Aegypti a LXXII. Interpretibus non sine divinae aspirationis miraculo fuit adornata, etiamsi modus & temporis spatium aliaque illius celebratissimi consessus adjuncta omnino explorata & indubitata non habeantur.

XII. Inter innumeras *Versiones* in linguas *occidentales* factas sola jam eminet *Vulgata latina*, quam Concilium Tridentinum jure merito declaravit *authenticam*, id est, fontibus *quoad rem* saltem conformem & nullo praetextu repudiabilem. Ex quo patet, quod per hoc Concilii Tridentini decretum fontium auctoritati nullatenus fuerit derogatum; dummodo nemo praesumat Vulgatam rejicere, aut illam privata auctoritate ad fontes corrigere.

XIII. *Divisio S. Scripturae* hodierna tam in hebraicis, quam in graecis, quam in latinis codicibus in *Capita*, & Capitum in *Versus* non sunt ab Hagiographis; sicuti nec *libri Apocryphi*, *Praefationes*, ac *notae Hieronymi*; nec *Bullae Pontificum*, nec *tituli* Capitum, nec *verba explicationis* caussa quandoque addita, nec denique *notae marginales*, quae in codice Bibliorum inserta leguntur.

B. *Theses Practicae.*

XIV. *Adam & Eva* primi omnium hominum parentes, licet suo & totius generis humani damno gravissime deliquerint, vere poenitentes, salutem consecuti sunt. Neutiquam vero eorum filius *Cain*, ut impie asserebant Cainitae haeretici. Ejus vero nepos pessimus *Lamech* primus bigamus accepit duas uxores contra institutionem matrimonii.

XV. Ex eo, quod DEUS *Genes.* 9. 1. *benedixerit Noemo & Filiis ejus* imperite ac injustissime ab Heterodoxis, sugillantur Canonicae de Clericorum continentia leges. Quinimo ipsius *Noe* tam tempore diluvii, quam per reliquos CCCL. quos supervixerat, annos mira continentia haud obscure ex S. Scriptura colligitur.



XVI. *Melchizedek Gen.* 14. non fuit *Spiritus ſanctus*, non aeternus *Dei Filius*; nec *Angelus*; nec *nova* aliqua *Perſona* a Deo creata, & poſtea iterum in caelum recepta, ut orthodoxae Religionis adverſarii ſomniarunt; ſed verus homo ex Adamo deſcendens. Isque probabilius non fuit *Sem*, multo minus *Cham*, nec ſanctus *Enoch*; & neque, ut aliqui Judaei delirabant, *homo ſpurius*; ſed homo Chananaeus Rex Hieroſolymae, inter medios Idololatras veri Dei Sacerdos ſanctus, cujus Genealogia in Scripturis non extat.

XVII. *Diluvii Geneſ.* 7. Cauſſa non fuit Cometa Whiſtonis Philoſophi; ſed miraculoſus Dei vindicantis effectus. Idque univerſale, non tantum Hebraeos delens, ut Iſaac de Pereira, Voſſius & alii Praeadamitarum Patroni commenti ſunt.

XVIII. *Doctrina & veritas* (hebraice *Urim & Tummim*) Exod. 28. 30. diſtinctum aliquid fuiſſe tenemus a *Rationali* judicii, quod ſummus Sacerdos in pectore geſtabat. Deum item exinde conſulenti Pontifici reſponſa dediſſe non per miraculoſum ſplendorem lapillorum aut literarum lapillis inſculptarum; nec voce articulata; ſed per internam revelationem, ſicut Prophetis loqui ſolebat. *Ephod*, quod Gedeon *Judic.* 8. 27. ex praeda aurea fecit, atque Iſraeli in ruinam ceſſiſſe dicitur, non fuit Idolum: proinde nec Gedeon illud faciendo peccavit.

XIX. *Samſon*, de quo *Judic.* 14. *ſeq.* fuit figura Chriſti. *Job* non peccavit graviter peccato deſperationis, nec blaſphemiae. De Salute *Heli* I. Reg. 3. deſperandum non eſt: multo minus de ſalute *Salomonis* Regis.

XX. Chriſti *Genealogia*, quam S. Matthaeus recenſet, non eſt vitioſa, nec S. Lucae repugnans. Chriſtus itaque verus Abrahae & Davidis filius; qui in monte oliveti orans *ſanguine ſudavit*, & in cruce moriens ſolem *miraculoſa* & *univerſali eclypſi* veluti compatientem habuit.

XXI. Sancti illi, de quibus *Matth.* 27. v. 53. non ſtatim ab obitu Chriſti, ſed poſt Ejus Reſurrectionem ſurtexe-

rexerunt; & quidem ad vitam denuo ponendam. Ex illis. *Joan.* ult. *v.* 22. verbis: *sic eum volo manere*, minus recte nonulli intulerunt Joannem a communi mortalium lege fuisse exemptum.

Apostolus I. Cor. 15. 29. *Baptismum pro mortuis* non approbat; sed ex ea consuetudine argumentum ad hominem, ut vocamus, adornat. *Praedicatio Christi*, de qua Petrus ep. I c. 3. v. 20. non in inferno damnatorum, sed in lymbo Patrum contigit, tanquam faustum liberationis suae nuntium. Eodem Petro teste, ep. 2. c. 3. v. 10. Mundus per *ignem* interibit.

C. *Ex Linguis Sacris.*

XXII. Sicut verissime dictum est a S. Augustino L. 2. de Doctrina Christiana c. 11. *Latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis* (seu alis) *ad Scripturarum Divinarum cognitionem habent opus, hebraea scilicet & graeca — ut ad exemplaria praecedentia recurratur*; Ita sapientissime Clemens V. in Concilio Viennensi (ut habetur Clem. 1. de Magistris) constituit, ut in scholis & studiis universalibus provideatur de magistris catholicis, qui habeant linguarum sacrarum notitiam. Non enim tantum ad splendorem Ecclesiae facit, sed interest & famae illius, esse in Ecclesia Dei, praesertim in Academiis orthodoxis, qui per se ipsi judicare ac respondere de Verbo Dei ex linguis primaevis possint.

XXIII. Imo viros hoc in genere doctos ut aliquos esse necesse est; ita multos optabile. Unde non vituperiis, sed summis plane laudibus digni sunt Principes, Universitatum fundatores & supremi rectores, qui hoc maxime tempore saeratiores honorum academicorum gradus & titulos conferri nolunt sua culpa omni linguarum sacrarum notitia destitutis.

XXIV. Fons Hebraicus licet sphalmatibus non careat, notabiliter tamen & ex malitia a Judaeorum Rabinis, sive ab Haereticis, sive a Catholicis corruptum esse qui asserit, plus ait, quam probare possit. Sed & Masorethae *punctorum vocalium* inventores gratiam, non convitia a nobis meriti sunt, quamquam pronuntiatione vocalium a LXX. Interpretibus eos subinde discrepare non negemus.

XXV. Ex sola *elementorum hebraicorum* recta cognitione ostendi potest 1. Nomen Dei τετραγραμματον יהוה male pronuntiari a multis penultima correpta. 2. Non recte scribi *Matthias* unico *t*; 3. aut *Satan* per *th*. 4. *Johannes* rectius cum *h*; & *Bethlechem* minus recte cum *h*. simplici 6. Ineptissime legi *Leviathan* antepenultima producta;sicut & 7. Ephráta ac Bethléchem tam parum recte effertur penultima brevi, ac graecum Lucae *Sycomoros* a multis Levitis in solemni Evangelii annuntiatione in media syllaba corripitur.

XXVI. Ex sola pariter elementorum hebraicorum cognitione ostenditur *a* non satis convincentia esse contra Judaeos argumenta, quae a non nullis nimis confidenter ab artificio *gemmatrico*, aut *notarico*, sive etiam per *themuram* petuntur ad probandum SS Trinitatis mysterium ex primi τȣ *Bereschit* versiculi verbis *Bará Elohím*. *b* Opportune tamen subinde adhiberi ex voce *Sesach* Jerem. 25. 26. & ex Joan. Apoc. 13. 18. ostenditur.

XXVII. Non multo majori notitia opus est ad refellendam calumniam Heterodoxorum, qui contendunt, *versum decimum quartum* Psalmi CXLIV. totum a Catholicis esse intrusum; item ad defendendam lectionem Vulgatae Exod. 32. v. 28. quae legit: *cecidisse in die illa* 23000; ubi aliae versiones habent 3000.

XXVIII. Ignorantes *declinationem*, *conjugationem* & *syntaxin* hebraicam in latinae scripturae lectione passim haerebunt incerti; saepe caligine mergentur; non raro in avia deflectent,

Verbi gratia I. casum pro casu male intelligentes; ut *Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est*. Psalm. 86. II. adverbium verbi instar habentes, ut *non adjiciet, ut resurgat*. *Amos* 5. *Deus tu conversus vivificabis nos*. Psalm. 42. III. aut instar substantivi; ut *justitias judicabo*. Ps. 74. 3. IV. aut adjectivum per modum substantivi exponentes, ut *viri*, *numeri*, *cordis*, *nominis &c*. Vel V. omnino per modum verbi, ut *Novi diluculo* Thren. 3. IV.

VI. Sed & forma *Piél* verborum sensum vehementer augens, absque hebraeis perspiciliis saepissime invisibilis est latine tantum doctis. Ut VII. nihil dicamus de magnificis *tropis* & *figuris* in latina versione non raro prorsus absconditis. VIII. In textu hebraico saepe quo-

que



que mirus *literarum* alphabeticarum *ordo* ; IX. ſaepe gratiſſimus *verborum luſus*, latinis oculis & auribus omnino peregrinus. X. aliquoties Interpres noſter Vulgatus nomina hebraica appellativa ceu nomina Propria retinuit; ſed & XI. quandoque Propria, acſi Appellativa eſſent, latine vertit. Denique XII. innumeri in Scripturis ſuperſunt modi loquendi hebraico idiomati ita proprii, ut nemo illos ſit aſſecuturus, niſi face hebraica ſit inſtructus, qua tenebras diſpellat. Atque inde fit, ut non nulli zelum quidem, ſed ſine ſcientia habentes frequenter blaſphement, atque in aliis ſuo probro ac non ſine eccleſiae catholicae damno erroris arguant, quod ignorant.

XXIX. Linguae hebraicae, a latinae & aliarum occidentalium genio licet plurimum diſcrepantis, difficultates a Pi illhebraeis Catholicis tantopere hodie mitigatae ſunt, ut ſerio octidui labore a mediocris ingenii homine totum comprehendi poſſit, quantum ad Vulgatae noſtrae maſtyges retundendos, & ad confundendos aut iuſtruendos Judaeos Doctori Orthodoxo ſufficiat. Iliadem hanc in nuce continet praeclarum illud *triſolium Cl. D. Weitenauer.*

XXX. Pro aſſertionis hujus argumento, & methodi hujus ſpecimine ex eodem inſtrumento analytice explicabimus I. Benedictiones Jacobi Patriarchae Geneſ. 49. maxime a verſu 8. ad 11. II. Vaticinium Eſaiae de Virgine paritura c. 7. v. 14. ſeq. III. Praedictionem Micheae 5. 2. de loco Nativitatis Meſſiae. IV. Prophetiam Daniel IX. a Verſu 21. ad 27.

XXXI. Denique Exercitationis gratia diſputanda proponimus ſequentia: I. *A. a. a.* Jerem. 1. 6. & 14. 13. non pueri balbutientis, ſed vox dolentis eſt & obſecrantis II. *Puer* autem ſicut Latinis & Graecis, ita Hebraeis nequaquam ſemper eam aetatem ſignificat, quae inter infantiam & adoleſcentiam intercedit; ſed filium, ſervum, famulum indicat. III. *Scheol* locus tertius fidelium defunctorum in ſenſu Lutheri nullum habet in Scriptura ſacra veſtigium. IV. *Behemoth* Jobi 40. 10. ſeq. elephantem; & 41. Leviathan balaenam eſſe putamus. V. Vocabulum *Paſcha* non a graeco πασχω (*patior*) ſed ab hebraico פָּסַח (*paſach*) *tranſiit* derivandum eſſe contendimus. Denique VI. notiſſimum שִׁילֹה *Schilo* in vaticinio Jacobi non a שָׁלַח (*ſchalach*) *miſit*; ſed a שָׁלָה (*ſchalach*) *pacificus fuit*, derivandum eſſe tenemus. EX



Ex Historia Ecclesiastica.

I. Christus ultimum suum Pascha celebravit decima quarta mensis Nisan, primo Azymorum die, qui non ipsum Festum, sed Parasceve festi Paschae erat, & feria sexta Judaica a solis occasu incipiens.

II. Tametsi nec hilum lucrarentur Protestantes, si etiam S. Petrus Romae non sedisset; veritati tamen deferendum omnino est, & haec ipsi Cathedra ex invictis plane documentis adjudicanda.

III. Tam Papae Marcellini lapsum, quam Sinuessanum Concilium prorsus merito ponimus inter fabulas;

IV. Nec majori gaudet criterio lapsus Liberii, qui falso dicitur uni ex formulis Sirmiensibus calculum addidisse; hoc enim facere, vel non potuit, vel non voluit.

V. Neque S. Papae Zosimo praejudicii quidpiam patimur accedere; licet enim benignitate erga Celestium usus sit, non tamen ejus haeresim ullatenus adprobavit.

VI. Sed & Honorius ab omni malevolorum censura est omnimodis absolvendus; nec enim ejus persona fuit haeretica, neque scriptio, quamquam subsequenti tempore ista fuerit per generale Concilium justissime reprobata.

VII. Ariminensis Concilii Patres Arianae Haereseos labe nunquam fuere foedati.

VIII. In trium Capitulorum negotio Ecclesia tam nervose defenditur, ut neque Chalcedonensi Synodo, neque secundae Constantinopolitanae error aliquis imputari queat.

IX. Quamvis S. Athanasius a Synodo Tyria damnatus S. Julium Pontificem non adpellaverit; hic tamen caussae Athanasii cognitionem suscepit, deque illa summo jure, & Apostolica primae Sedis authoritate judicavit.

Nicae-

X. Nicaenis Patribus obstitisse Paphnutium Thebaidos Episcopum, ne Clericalem illi continentiam praeciperent, nullo satis firmo adseritur fundamento.

XI. Jure suo usus non est Constantinus Imperator, sive cum Donatistis ad ejus tribunal adpellantibus alterum judicium Episcopale in urbe Arelatensi concessit: sive cum Felicis Aptungitani causam Aeliani Proconsulis judicio commisit: sive cum rursus provocantibus ad illius Majestatem Haereticis ultimum hac in causa judicium tulit.

XII. Absolutio Sacramentalis graviorum peccatorum reis post peractam duntaxat poenitentiam, & impletam satisfactionem, primis Ecclesiae seculis, ordinaria lege concedebatur; frustra tamen & inique contrariam modernae Ecclesiae praxim post Petrum de Osma carpit Arnaldus.

XIII. Obtinere a nobis hactenus nunquam potuimus, ut denuo post peractam jam semel publicam poenitentiam in eadem vel nova etiam crimina prolapsis, nedum publicae, verum & privatae poenitentiae aditum fuisse praeclusum teneremus.

XIV. Diaconis absolutionis Sacramentalis lapsis impertiendae nusquam concessa est facultas. nec concessam esse ex S. Cypriano colligi potest.

XV. Tertullianum velut suo faventem errori circa realem Christi in Eucharistia praesentiam Calviniani ostentant ambitiosius, quam verius.

XVI. Quae ab antiquis Patribus & auctoribus Ecclesiasticis laudantur Sibyllarum oracula, non sunt figmenta Christianorum, sed verae prophetiae.

XVII. Eucharistiam cum confirmatione mox a baptismo infantibus quondam contributam antiqua Ecclesiae praxis ostendit, quae tamen justis de causis per eamdem Ecclesiam, quamvis Augustini aetate multo serius, fuit abrogata.

Assen-

XVIII. Assentiri nos nulla ratione, aut vi possumus, aut licuisse aliquando, aut etiamnum licere extra regulam Christi Salvatoris imperio constitutam, hoc est, non invocato sanctissimae Trinitatis nomine baptizari. Nam quemadmodum lex tingendi imposita est, inquit Tertullianus, sic forma praescripta: a qua qui discesserit, & gravi se adstringat scelere, & operam ludat.

XIX. Protestantes causam justam atque legitimam non habuere, quod non comparuerint in Tridentino.

Errata corrige.

passunt	p. 22.	possunt
δεοσ	p. 59.	ϑεοσ
origines	p. 166.	Origenes.
Arcadius	p. 171.	Arcudius.

